Doctoris Garciæ Salzedi Coronelii, Sereniſſimorvm Portugalliæ Regũ Medici, atque Equitis, ut vocant, de Chriſto, ad Franciſcum Sanctium Oroſpedanum Doctoré Medicum Apologia, quæ convincit; In vero lethargo perpetuum neceſſariò adeſſe delirium.

Medicinæ doctis & ſtudioſis

S.

TAMETSI genii, atque ingenii mei Natura, Viri ampliſſimi, ac præterea Ratio illa, quam in Medicinæ ſtudiis jam diu ſum ſecutus, huc me ſemper alliciebát, ut in ea arte, in qua aſſiduè exercerer, quæque mihi unicè nota eſſet, tale aliquid excuderem, quo poſteris teſtari poſſem, me in tuenda & vindicanda hominum valetudine de univerſo mortalium genere bene mereri ſummopere voluiſſe: Tamen numquam hoc in animum meum inducere potui, ut me ad Apologeticum hoc, & cõtentioſum ſcribendi genus ab illo, quod ſolum mente conceperam, aliquando transderem. Iam enim diu erat, quod mihi hoc unum perſuaſeram, debere eum, qui faciendæ medicinæ operam daret, tamquam alterum Aeſculapium, quem ſcientiæ

hujus principem ferunt, non præsentibus solùm, sed & futuris hominibus industria sua sanitatẽ conservare, ac pro viribus conferre conari. Sed quum invidorum quorumdam, ac proinde malevolorũ, culpa effectum sit, ut à solita mea mansuetudine, & à pacato illo dicendi, atque scribendi tenore aliquantisper demovear; nemini erit mirum, si paria nunc paribus retulero, méque ferientes hostimenti lege perculero, præcipuè quum & dicto, & scripto præter omnem spem, prætérque meritum meum fuerim lacessitus. Nam qui neminem umquam læserim, cunctósque potiùs officiis omnibus, atque obsequiis meis ultro prosecutus sim; quíque opiniones, ac sententias meas omnes eò direxerim, ut ne hilum quidem à receptissimis probatissimorum Medicorum placitis, quod ego scirem, recederent: numquam ne suspicari quidem potui, aliquem emersurum fuisse, qui se aut re læsum, aut verbo tactum à me esse verè diceret, méaque in medendi arte judicia veris rationibus adversari, malignè contenderet. Verumenimverò dies ipsa, quæ consilia nostra, mentésque, & pectora, quantumvis abstrusa, ac recondita patefacere solet, ac novas semper novarum rerum occasiones afferre; ecce nunc nolentibus nobis, atque invitis unam hanc obtulit: quam tamen si terga vertere modò sineremus, ac nos oblata defensione destitutos telis adversantiũ nobis confodiendos objectaremus,

amentes

amentes profectò essemus. Neque verò in hanc arenam mei potiùs tuendi cupiditate, quàm veritatis firmandæ studio, (quam unam & colui, & maximi semper feci) descendo; ne si fortè illa in abdito, perinde ac victa, lateat, suam ipsius, meámque dignitatem in magnum discrimen trahat. Erit igitur præstò à me sua veritati defensio, modo ut auditorem, & judicem ab omni odio, & animi perturbatione vacuum nanciscar. Quamquam non dubito, quibusdam supervacaneum visum iri, veritatis defendédæ provinciã à me suscipi, quæ in se ipsa tantam vim habeat, Cicerone asserente, ut contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam, contráque fictas omnium insidias facilè se per se ipsa defendat. Sed ad rem veniam, eámque, ut gesta fuerit, paucis tamdem explicabo.

Superioribus diebus, quum aliquot Hispalenses Medici in ædes cujusdam tunc ægrotãtis, accersitu ejus coiremus, déque revocanda hominis sanitate in medium consuleremus, atque in his Franciscus Sãctius, eximius medicinæ doctor, quum de morbi natura, ultro citro, ut assolet, quæsitum esset, solus affirmaret, morbum illum, quo ægrotus infestaretur, Lethargum esse; statim respõdi, Mihi nequaquã lethargum videri potuisse, quòd perpetuo delirio, quæ præcipua est veri lethargi differẽtia, æger omnino careret. Qúmque ille se non posse non magnopere mirari dixisset, quid ita in vero le-

§ 2 thargo

thargo delirationem necessariò perpetuam constituerem, recepi, me idipsum illi adeò magni nominis Auctorum monumentis comprobaturum, ut in eorum gravissimis testimoniis acquiescendum sibi esse, pulcrum putaret. Postquam itaque discessimus, domum ego reversus scripsi ad illum breviter, & parum accuratè, tumultuariam quamdam, ac impolitam, qualem amico licebat ad amicum, epistolam, qua assertionem meam tantummodò firmarem locis hinc inde ex Galeno, ceteráque primæ classis Medicorum turba petitis, & congestis veriùs, quàm cum cura dispositis; in quibus ego meas partes non tam verbis ornarem, neque enim erat necesse, quàm tot eruditissimorum virorum judiciis sustentarem. Sed ille opportunitatem nactus sui ornandi, meique traducendi, non solùm miseram epistolam ad obvios quosque circumtulit, sed formis etiam cussam eliminavit, non contentus illam priùs Complutum, Valentiam, ac Salmanticam misisse. In quo quidem dupliciter mihi peccasse visus ille est, & quòd me inconsulto rem meam omnibus prodidit, & quòd Hispalenses Medicos tantum non in ordinem redegit. Atque, ut verum strictiùs fatear, non erat constitutæ controversiæ tam spissa disceptatio, ut ad exteros medicos statim deferendâ esset illius diremtio; quum certum sit, tot illustres & re, & nomine

nomine in hac Hiſpalenſi urbe paſſim reperiri Medicos, quot fortasſis in reliqua Hiſpania vix invenire quisquam poſſit. Quorum quidem auctoritati & judicio, non dico ſcriptis, ſed viva ſolùm voce prolato, ſtandum omnino esſet, ſi aliorum, quàm noſtrûm utriusque teſtimonio nobis esſet in ea re utendum. Atqui ego ſimpliciter in illo epiſtolio meo meum judicium promſeram, epiſtoliúmque ipſum amici ſinui commiſeram, quaſi indice digito Galeni, & aliorum præſtantium Medicorum locos à me ſtantes commonſtrans; ac præterea nullam comendæ orationis, in tanta præſertim illius anguſtia, curam ſusceperam (quam unam iſti adeò affectant, ut ſatis habeant ſeſe vel præter rem, & extra verum locutos esſe, dummodo verbis comtisſimis, ac Latinisſimis, ut videri volunt, loquantur) quum mihi contentionis noſtræ ardorem jam deferbuisſe exiſtimanti, ſubitò affertur nuncius horribilis; totius rei intra privatos parietes geſtæ publicum commentarium, ſimul cum epiſtolio illo meo ſyllabatim repræſentato, typis esſe impresſum. Quem ille (dejerare auſim) eo animo in lucem nobis inſciis ediderat, ut ex epiſtolii noſtri parum curioſè exarati exemplo de reliqua doctrina noſtra ſiniſterior opinio conciperetur. In eo Sanctius meus, præterquam quòd contentionem noſtram paullo aliter, atque res ſe habuit,

recenſet,ac meis quibuſdam objectionibus neſcio quas affert ſolutiones, quæ ad rem minimè faciunt: producit etiam Valentinorum quorumdam, & Complutenſium Medicorum gravisſimum, ſi diis placet, & maximum de ea lite oraculum; ex quibus ipſe ſententias pro ſe facientes præter æquumque & bonum, ut ille ait, elicuerat; uſus nimirum ſe & patrono & conſultore, qui mirificus eſt alienæ causſæ verbis ſubvertendæ artifex. Obſtupui equidem, ut fatear ingenuè, gelidúsque per ima cucurrit osſa tremor, non certè quòd causſæ meæ jam diffiderem, ſed quòd amici mei & officium & candorem requirerem, quem haud injuria mecum omnes in hoc, ſpero, culpabunt. Poſtea verò, quàm me collegisſem, non potui facere, quin Franciſci Sanctii tam omnibus ſpectabilem modeſtiam deſiderarem, méque illico pro circumvento & malè accepto haberem, ac mei nominis exiſtimationem non leviter perſtrictam dolerem. Non minimam autem boni nominis habendam esſe rationem, vel ipſe Deus nobis auctor eſt, qui nos idemtidem bonæ famæ negligentes esſe vetat. Quamobrem quum ea, quæ à me ſuprà dicta ſunt, tam ſint vera, quàm quæ verisſima, & quum in Medicis necesſarius omnino ſit boni nominis bonus odor, quando ex eo maleaffectorum ſanitas ferè omnis pendeat, &, quod præcipuum eſt, meis allegationibus

mini-

minimè ſit ab illo ſatisfactum: cur vereri debeam, obnoxium me futurum hominum reprehenſionibus, ſi pro ſarcienda exiſtimatione mea, próque veritate tegenda, ita me nunc ad reſpondendum compararo, ut mihi cauſsæ meæ ratio ſtare posſit integra, & honor meus illæſus? Quem fortè jam labefactum eſſe crederet adverſarius meus, qui hoſte nondum viſo triumpum ſe egisſe ſibi perſuadere posſet. Conabor itaque in hac Apologia, ſeu potiùs reſponſione, ea præſtare, quæ polliceor. In qua quidem candidè & amicè, & absque ulla verborum acerbitate, qui meus ſemper mos fuit, & erit, animi mei ſententiam declarabo, judiciúmque meum, ſi quod eſt, interponam. Id quod ſi doctis, pariter & probis confecero (quod divino auxilio me asſecuturum confido) nihil eos morabor, quibus eſt mala mens, malus animus. Vos autem, Doctisſimi, & optimi viri, qui antiquum obtinetis, quæſo & obteſtor, ut opusculum hoc qualecumque meum pro veſtra erga me benevolentia ita attentis animis perlegatis, ut & Scriptorum, quos appello, teſtimonia, & Rationes illas, quibus utor, diligenter expendatis priùs, quàm de illis veſtram ſententiam feratis. Quod ſi me aliquid dixisſe comperietis, quod auribus veſtris acerrimis non ingratum viſum fuerit; communem hanc cauſſam, méque

cjus

ejus vindicem in vestrum patrocinium suscipietis: sin minus, errantem me corrigetis, atque ignorantem docebitis. Neque enim ego is sum, qui errorem meum nolim agnoscere, quíque in meis disputationibus victoriæ compos, quàm veritatis assertor esse malim.

Valete.

Iesus Mariæ filius.

QVATVOR IGITVR ERVNT in hac enarratione potiſsimùm demonſtranda: primum falſò doctorem Franciſcum Sanctium hiſtoriam ægroti enarraſſe: ſecundum non noviſſe eumdem duplicem lethargi acceptionem; poſſeq; affectionem eſſe lethargicam,& non verum lethargum: tertiũ neceſſariò in vero lethargo dandum eſſe deliriũ perpetuũ; quod illius indiciũ pathognomonicũ dicetur: quartũ nullius eſſe momenti quæ pro ſua opinione affert argumenta; atque multò aliter allata ab ipſo teſtimonia eſſe interpretáda, ipſumque meis nequaquã ſatisfeciſſe rationibus,& auctoritatibus,quas oſcitáter & præter omnium rectè ſentientium mentem interpretabatur. Quibus explicatis & verè demonſtratis poterunt qui aliter ſentire viſi ſunt,meliùs ſapere: ſin minus,in eodem errore cum amico Sanctio involuti opere ipſo demonſtrabunt verè dixiſſe Galenũ, indelebile prorſus eſſe vitium ignorantiæ cum ſuperbia conjunctæ. *13. meth. cap. 15.*

Falſò fuiſſe hiſtoriam à Franciſco Sanctio relatã intelligent omnes,qui ipſius verba perlegerint, quæ habent: *Intuebar ægrum febre lenta,ſopore, atque inerti oblivione detentum: quibus & aliis indiciis lethargo potiùs; quàm melancholia correptum exiſtimabam,hæc ille.* Convin

citur autem in ipsa enarratione. nam quis, quæso, erit vel medicinæ principiis initiatus, qui non intelligat longè diversa esse melancholiæ indicia, in qua nec febris adest, nec sopor, nec aliquod aliud veri lethargi symptoma? ac proinde præclaros doctores, vt ipse vocat, & doctissimos, vt ego scio, quibus plurimum tota Hispania debet, non potuisse in re tam manifesta decipi, in qua nec iners vetula hallucinaretur. Quare multò aliter res ipsa contigit, quam tamen amicus Sanctius pro suo arbitrio, ut in aliis facere cõsuevit, depinxit, ut protinus à principio judicibus fucata ista enarratione tenebras offunderet, credentibus in lethargi delirio constituẽdo facilè posse decipi, qui veri lethargi indicia non agnoverunt, existimantes esse melancholiam morbum. Poterat & altera dari ejusdem fucatæ enarrationis causa. putaverat fortasse legentes grandia illa verba (*Paucis ab hinc diebus cum ægrotantem quendam vocatus invisissẽ, cujus saluti doctores præclari medici tres consulebant; videlicet Ambrosius Nuñez apud Salmanticensem Academiam rude donatus, Christophorus Leo jampridem apud Hispalenses medicinæ professor, & Castellonius, qui eidem quoque muneri nunc incumbit, &c.*) protinus exclamaturos esse illum victorem, & jure optimo victorẽ debere esse, qui præstantissimos etiam medicinæ professores docere potuit cognoscere & curare morbum, quem antea ignoraverant. Fefellit tamen ipsum machinatæ historiæ consilium, nam legentes postea, quas

ipse

ipse affert, pro sua opinione rationes & testimonia, atque solutiones, præclarasq; interpretationes, protinus deponét, si quam habuerint, de tali eruditione opinionem. Intelligentes præterea ex ægroto Christophoro Roderico Calvo, ipsiusque consanguineis illustribus admodum, atque ex famulis ope Ambrosii Nonnii, atque aliorum doctissimorum doctorú, quos socios habuit, fuisse servatum, omnia, ejus pace dixerim, errore & ambitione plena agnoscent: cum præsertim idem æger publicè & privatim testetur totius damni & insalubtitatis comparatæ auctorem fuisse doctorem Sanctium, cum exhibuisset per multos dies decoctum smylacis asperæ, & victum exsiccantem dari juberet. Verú cum hac de re nulla fuerit, nec esse potuerit quæstio, aut dubitatio, præstabit vlterius nó progredi, atque multa omittere, quæ hîc verè poteram afferre. illud tamen compertum omnibus sit, febrem ægrotantis nó fuisse continuá, cum frigore enim partium extremarum exordiebatur, madoreq; & sæpius sudore desinebat. Somnus autem non erat gravis, nec continuus, facilè siquidé ab ipso vel solo tactu excitabatur, & per aliquam tátum accessionis partem perdurabat. Hactenus de historia, quare prætermittentes illam, alia interpretemur proposita.

Erat secundo loco demonstrandum, duplicem esse lethargi acceptionem, cómunem & propriam: posseque affectionem appellari lethargicam, quæ

verus non ſit lethargus. Hanc quæſtionem nunquá in conſultatione propoſuit doctor Sanctius: *Tantũ ſe non poſſe percipere dicebat, quo pacto non erat dicendus lethargus affectio, in qua febris & ſopor aderant.* Cui doctor Ambroſius ita ſatisfecit, ut omnes alii acquieſcerét, quoniá ajebat, nec febris cõtinua eſt, nec morbus acutus, nec ſomnus gravis, nec continuus, nec adeſt delirium. Ille autem prætermittens cætera indicia, cœpit mecum diſputare, num delirium in lethargo ſit neceſſariò conſtituendum. Verum enimvero cogit, quæ adhuc in me eſt, vera amicitia, ut diſcrimen, quod ipſe per multos poſtea dies nõ potuit invenire, aperiam. Quod multò prius feciſſem, ſi ad me ſuas ille lucubrationes mitteret: efficeremque profectò ut ad exteros non mitterentur: tantũmodo enim quæſtio de delirio in lethargo proponenda erat, ut liberè quiſque ſuam proderet ſententiam, quod ipſi vtilius & glorioſius foret. Sed præſtabit propoſitas acceptiones explicare. Lethargus igitur cõmuniter dicitur de quacũque ſoporoſa affectione, quæ à modica frigiditate & humiditate cerebrum occupáte, ortum ducit. Quemadmodum con-
Aph.3. ceptis verbis Gal. teſtatur lib.2.aph. Talis verò, inquit, ſomnus fit primo ſenſifico, ideſt, cerebro refrigerato, quæ refrigeratio ſi ipſa vehemens cũ humiditate miſta fuerit, morbos lethargicos, ſi verò cum ſiccitate, vocatas Græcis catalepſis cõmittere ſolet. &c. Secundum hanc ſignificationem ſæpe ſumitur

in

in libris Epidemion, ut optimè quoq; annotabat Iacotius (ne quempiam sua fraudemus laude) Propriè autem lethargus dicitur de apostemate pituitoso intra craneū existente, ut definitur ab Avicenna; & secundum hanc propriam acceptionem de lethargo agit Gal. Secundum eandem agit Paulus, Aetius, & reliqui omnes Græci, Arabes, Barbari, & Latini medicinæ auctores, ipsius curationem, prædictionem, & cognitionem docentes. hoc idem discrimen mihi videtur constituere Gal. lib. 4. de præsag. ex puls. dū inquit: Humidæ intemperaturæ cerebri molles diuturnitate efficiunt, ac hominem comatosum: si ad illas accesserit febrilis calor, morbus appellatur lethargus: & pulsus est nō modo mollis, sed & magnus: si veró putrida pituita ita cerebrum afficiat, erit tunc etiam morbus lethargus. &c. Vbi notanter dixit, apellatur, &, erit lethargus; ut significaret prædictas illius verbi acceptiones, quemadmodum adverterat similiter Ingrassias suo illo egregio tractatu de tumoribus. Trallianus genuinū & germanum appellat lethargum, quando ex pituita oritur: nam si cum ipsa fuerit bilis permista nō erit germanus lethargus. Est & alterum discrimen ex loco, unde affectio exorditur, desumtum, ut docet Gal. 17. de usu part. in fine dicens, Ita qui novit facultatem animæ ratiocinatricem esse in cerebro, deliria, phrenitides, lethargos, manias, melancholias intelliget accidere, cū cerebrum aut primaria ratione, aut per

Fen. 1. 3. tr. 3. c. 7

13 meth. c. 21. 11. meth. c. 18

Aetius li. 6 cap. 3.

cap. 9.

Li. 1. c. 14.

(uno demto Sanctio, & illis, quos in judices, seu potiùs in patronos modo vocavit) dubitavit, aut in quæstionem vertit. Nam Hipp. (ut ab ipso tanquam medicinæ præstantissimo conditore, & primo parente exordiamur) lib. 2. de morbis, in lethargo deliriũ addesse docebat de ipso particulariter agens, dum inter alia ipsius indicia dicebat, & nugas garrit. certum autem est per nugas garrire intellexisse deliriũ: ac si diceret, & delirat. solet enim magnus hic Hippocrates delirantes variis nominibus apellare: quẽadmodum annotabat Galen. lib. de Comate & alibi.

Ca. 3. & 3 epid. com. 1. 2.

Sed dicet fortasse amicus noster Sáctius, postquã viderit textum (quem scio ipsum numquam antea vidisse) intelligendum esse juxta illam admirandam interpretationem, quam ad textum Aetii adducebat, quod & voluisse Hippocratem eo loci contendet, quia dixerat, & ubi nugari desierint, dormiunt. &c. Vnde colliget deliros quidem esse lethargicos, nõ tamen semper delirare, quia dixit, ubi nugari desierit, dormit: & hoc sibi satis fore putabit. Verũ cõcedat modò, quod aliàs negaverat, delirare lethargicos, nã postea ostendam perpetuò illos delirare, multòque aliter verba hæc, & Aetii esse accipienda. Idem Hipp. tractatu de Insania docens, qualiter insanientes cerebro cõmoventur, & deliri sunt, ita sententiam nostram confirmat, ut nullum videatur reliquisse dubitationi locum, dum inquit, Fit autem

corru-

corruptio à pituita & bile: utriusque verò cognitio sic contingit. Etenim qui à pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur, neque tumultuantur; qui verò à bile, percussores & malefici, ac non quieti. Hæc Hippocrates. quæ nũquam poterit intorquere amicus Sanctius, quãtumvis contradicendi ingenio polleat. nam apertissimè Hippocrates per illa verba docet distinguere delirantes ob pituitæ vitium, hoc est, lethargicos, ab illis, qui à bile insaniunt, hoc est à phreniticis, agnoscens in lethargo delirium, sicut in phrenitide. Est & tertium nõ minus efficax ejusdem Hipp. testimoniũ, per quod luce meridiana clariùs constabit ex sententia ipsius, necessariò constituẽdũ esse delirium perpetuum in lethargo, quemadmodũ fatebuntur omnes, qui deposita priùs falsa (si illam fortè habuerunt) opinione, hæc perlegerint. Nam ut optimè inquit Galenus, falsæ opiniones animos hominum præoccupãtes, non solum surdos, sed & cæcos faciunt, ita ut videre nequeant, quæ aliis conspicuè apparent, &c. Hippocrates igitur in Coacis prænotionibus verum suis coloribus depingens lethargum, tandem dicit, Postquam verò resipuerint, collum dolorosum se habere dicunt, & sonitus per aures transire, &c. ubi notanter dixit, Postquam resipuerint, hoc est, ut interpretatur Hollerius, jam mẽtis compotes collum se dolere dicunt, &c. Cum igitur per morbum non percepissent illum colli dolorem, necessariò fatendum erit, mentem tunc læsam

8. de com. sec. loc. c. 1

Pag. 567.

Pag. 387.

2. pho. 6. habuisse. Nam ut Idem alias proclamabat, Quicũq; dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem nō sentiunt, iis mens ægrotat. Vnde meritò Hollerius concludit in lethargo non solùm memoriam, sed etiam rationem lædi. Hanc illius textus illationem qui assecutus fuerit, nolens volens fateri non dubitabit necessariò in lethargo, in quo non percipiebatur colli dolor, mẽtem fuisse læsam, hoc est, deliriũ. ubique enim cum non percipitur dolor, delirium

Cap. 6. addesse docebat Gal. 7. de placitis Platonis, & Hipp. vbi referens prædictum aphorismum, dicebat. Hìc enim dolẽtes nominat eos, qui aliqua parte offensi sunt ita vehementer, ut nisi delirio præmerentur, dolerent. Poterat quidem hoc solum testimonium sufficere, ut negantes in lethargo delirium, faterentur jam modo se amicitia Sanctii convictos illud dixisse: quod quidẽ æquiori jure illos facturos spero, si aliorum nostræ medicinæ præstantissimorum auctorum testimonia eamdem veritatem confirmantia, quæ modo adducturus sum non oscitanter perlegerint. Vereor tamen, ne impuros amici, & ejus judicum animos magis lædam. nam, ut optimè dice

Cap. ulti. bat Gal. 1. de simpl. med. facult. Impuris animis si nutrientes sermones offeres, nō modo nihil prosis, sed etiam magnopere obfueris. ut enim Hippocrates inquit, sic etiá Plato ait, impura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes, &c. Quare ne hæc, quæ deinceps dicturus sum, candidos alias viros lædant,

dant, evomant, obſecro, quam pertinaciùs retinuerunt opinionem: atq; diſcant toto lethargi tempore ægrotantes colli dolorem non percipientes, deliros fuiſſe. nam cũ primũ mẽtis cõpotes fuerint, morbo ſcilicet, hoc eſt lethargo jam ceſſante protinus collũ ſe dolere ſentiẽt, quod dicebat Hippocrates.

Primus igitur, qui poſt Hippocratẽ ſe offert Paulus eſt. is de lethargo juxta Galeni ſententiam egẽs, dicebat, Lethargus itidem cùm ratiocinatricis animæ noxa ſit, locum eundem, quem phrenitis, nẽpe cerebrum, occupat: materia verò mali cõtraria eſt. & ne aliquis falſò cum amico Sanctio exiſtimet per noxam facultatis ratiocinatricis, actionem intellexiſſe imbecillam, & non depravatam, legat quæ idẽ auctor paulò poſt in hunc modum ſcripſit. Somno, inquit, perpetuo præmũtur, à quo ægre poſſunt excitari: & quocũque modo interpellentur, vix reſpõdẽt, oblivioſi, mente moti, oſcitãt crebrò, &c. Vbi per mente motos intellexiſſe deliros, agnoſcẽt qui Hippocratis verba perlegerint in tractatu de Inſania, quæ in hũc modũ ſe habẽt. Quemadmodum in libro de ſacro morbo dixi, inſanienti neceſſe eſt præ humiditate cerebrũ, in quo animæ ſunt opera moveri, ubi videlicet humidiùs, quã pro natura, fuerit. eo verò cõmoto neq; viſum, nec auditũ quieſcere ſed aliàs, alia & videre, & audire, & lingua talia loqui, qualia ſingulis vicibus viderit atq; audierit. quãdiu verò cerebrum quieverit, tamdiu etiam homo ſapit, &c. Lib. 3. c. 9

Hæc Hippocrates:per quæ non solùm ostendit mentis motionem significare delirationem, & mente motos esse deliros,sed etiam explicat, cerebrũ plus justo,seu plusquã natura postulat,humidius eã subire motionẽ, quæ facultatẽ raciocinatricẽ errare,seu delirare faciat.Hæc tamẽ sententia (ut obiter illud interpretemur) non erit intelligenda absolutè de quocũq; cerebri humidiori intemperamẽto, sed de illo,quod ex pituita putrescente oboritur.quemadmodũ postea latiùs sumus demõstraturi. Nunc sufficiat ostendisse ex sententia Pauli lethargicos esse mente motos,hoc est deliros.quam sententiã multi alii præstantissimi medici confirmarũt,ũt lõga oratione probat Cœlius Aurelianus lib.2.de Morbis acutis. ubi definiens lethargum ex sententia antiquorum dicebat,Plerique hanc definientes passionem, ajunt,lethargum esse præssuram cum febribus acutis (hoc est,ut ego interpretor,continuis) ad perniciem ducentibus,&c. intelligit autem per verbum præssuram,delirationem,& mæstitiã,quæ duo in lethargo existere probat eo loci;&propterea reprobat definitionẽ lethargi à Leonide in hunc modũ traditam.Lethargus seu lethargia,ajebat,secundum vias membranarũ cum furore mentis,atq; febre,& mæstitudine,ac præssura,&pulsu magno,&c. quam inter alia reprobans dicebat, nec etiam mæstitudinẽ, vel tristitiam,atque mentis furorem dixisse debuerat : etenim præssura in semet mæstitudinem,atque

Cap.1.

furo-

furorem continet ex Athenæo,&c.per quæ amplius demonstrat,per præssuram intellexisse etiam mẽtis furorem,hoc est,delirationem,ut ipse vocat. & hãc necessario in lethargo esse constituendam omnes aliæ,quas affert definitiones satis superque demonstrant.

Hanc eamdem veritatem confirmat Avicennas, tum quia dicit lethargum esse apostema phlegmaticum,factum intra craneum,tum etiam quia inter signa ipsius numerat intellectus cõmistionem, hoc est, alienationem,seu delirium,ut omnes ejus interpretes explicant, & ratio ipsa demonstrat. necessariò enim ad apostema cerebri sequitur delirium, ut paulò post latiùs sumus ostensuri,nunc eãdem sententiam aliorum similiter gravissimorum auctorũ testimoniis confirmemus. *Li.3.tr.3. c.8.*

Haliabas (quem amicus Sanctius magnum alibi vocabat) in prædictæ propositionis confirmationẽ dicebat, lethargum phrenesim esse frigidam, accidensq; illius esse mentis confusionem. *Li 9.theo. c.1.*

Isaac lib. 9. Theoricæ de lethargo particulariùs agens,dixit, Et mente alienantur. intelligere autem prædictos auctores per mentis confusionem perturbationem,& alienationem,non quidem illã facultatis ratiocinatricis læsionem,quæ deminuta & imbecillis actio vocatur, sed potiùs eam, quæ corrupta & depravata dicitur,satis superque ostendit Alexander Benedictus lib.1. nam tradens signa lethargi *Cap.4.* *Cap.22.*

 dicebat

dicebat,& clamor ingens lethargum excitat cũ mẽtis alienatione. Alienatio duobus modis contingit, aut enim non bene imaginantur, aut non bene recordãtur. sed & in utroq; aliquãdo accidẽs evenit, auferens imaginationem & memoriã, quod deliriũ & insania vocatur. hæc ille. In eãdem etiã confirma-

30. tionem referã Hieremiã Triverium. 3. aph. qui ita ad verbum scripsit. Et quia de lethargo nullã alibi deligenter descriptionẽ dedimus, atq; obscura est illius apud alios descriptio, ac rara fortuna nunc (ne alibi excidat) paucis verbis lubet dicere, quod Lethargi materia humida est, nõ quidem in ipsis ventriculis cerebri, sed in ipsa cõsistens substãtia. Nã si vẽtriculos infarciret, apoplexiã cõmitteret, atq; omnẽ sensum tolleret: atqui lethargus totũ sensum nõ delet, sed momẽtũ aliquod reliquarũ operationũ retinet, tamen ipsum intellectum vitiat & omniũ ferè eorũ, quæ priùs gesta sunt, hoc tẽpore memoriam aufert. hæc ille. Notanter videlicet dicens in lethargo auferri memoriã, quod est ablatam esse actionẽ, & vitiari intellectum. quod vitium vel Sanctius fatetur, delirium vocari. Quare si hæc Brachelii verba (cui multũ tribuit) priùs perlegisset Sanctius, nequaquã inficiaretur in lethargo vitiatam esse facultatis ratiocinatricis actionem, hoc est, delirium. Parum tamen refert ipsum negasse quod præstantissimi medici confirmarunt, inter quos est etiam Iacotius, quantumvis ille dicat, me mutilasse & truncatam re-

In coacis præn. pag. 211.

retulisse Iacotii sententiam. non advertens jure quidem optimo posse illam sententiæ partem omitti, in qua non solum palinodiam auctor non recantabat, sed multò apertiùs quod propositū erat, confirmabat. Præfatus enim nomē lethargi generatim sumi pro aliis affectionibus soporosis, quæ veri Lethargi non sunt, docet ipsas à lethargo vero distinguere in hunc modum dicens, in cathoce & catalepsi eodem statu manent ægri, quo prehensi sunt, rigidi, & apertis oculis, sine febre: in comate & cataphora soporantur clausis oculis: in caro, motu & sensu privantur per aliquod tempus, adeo, ut siquis stimulet, non sentiant servata respiratione: in apoplexia, eadem: sed læditur respiratio: in lethargo, dormitant, delirant, oblivione celeri corripiuntur cum febre, &c. Quæ qualiter ipse interpretetur, nec consideravit, nec judices animadverterunt. cum nullam aliam interpretationem patiantur, ut quisq; fatebitur, qui Iacotii librum habuerit. Eādem sententiam confirmat Ioannes Gorreus lib. medicarum definitionum, ubi de lethargo agens dicebat, sunt autem omnes obliviosi, stupidi, & mente capti. Holerius meas similiter partes tuetur, dum inter alias lethargi definitiones, illam probat: quæ habet, lethargus est delirium intermissionis expers, cum febre, sopore, & celeri oblivione conjunctū, &c. notanter dicens, intermissionis expers, hoc est, cōtinuum & perpetuum. Sufficiebat quidē sola hæc

Fol. 208.

Lib. 1. de Morb. internis. C. 8. in additio.

hæc auctoritas ad confirmandum, quod aliàs amico promiſeram: cum præſertim nec ille, nec, quos vocavit, judices aliquem reperire potuiſſent auctoré, qui diceret, delirium in lethargo non eſſe dandum. Ego verò multos affero Græcos, Arabes, Latinos, antiquos, & recétiores præſtantiſsimos in noſtra medicina auctores, qui cóceptis verbis, & apertiſsimis aſſeruerunt in lethargo perpetuum eſſe delirium, & lethargicos perpetuò eſſe deliros. nec enim negare poterant quod in lethargicis, qui vero lethargo afficiuntur, conſpiciebant, non quidem quando cataphora & alto ſopore tenebantur, ſed potiùs cum ab ipſo excitantur. Quemadmodum Aetius & alii auctores annotarunt. Quæ verba nó patiuntur admirandam illam, quá ſolus doctor Sanctius ex ſuo ingenio fertiliſsimo protulit, interpretationem, nulla ratione, nec auctoritate cófirmatam. Poterá multò plures auctores in noſtra medicina receptiſsimos referre, meam ſententiam confirmantes: quos conſultò mitto, ne iterum amicus vitio vertat, me ſcriptorum variæ lectioni ſine fatigatione perpetuò incumbere. Intelliget ſanè modò, quod jam pridé intellexiſſe debuerat, me ipſum non ſolum in evolvédis antiquorum, & recentiorum auctorum monumentis plurimum ſine fatigatione valere, ſed etiam in eruendis ipſorum ſententiis (abſit arrogantia verbo) aliquantulú potuiſſe, quippe qui depoſita omni ambitione, & populari aura, veritatem dogmatum quæro.

quærro. hanc diligo, hanc docentes benevolè audio, & qui eam docent suscipio. Verùm hac de re aliorū sit judicium. nunc ad pensum redire satius erit, nam invitus dico, quæ amicus dicere debuerat, ut vel saltem verbis parem amicitiam, & cōmendationem referret. nec illi (mihi credat) opprobrio erat futura aliorum cōmendatio. sunt enim aliquot in nostra Hispalensi civitate doctissimi medici, aliis non inferiores, ne dicam superiores, quos poterat, & debuerat de proposita quæstione consulere. & ipsorū doctrinæ acquiescere, ni se solum in hac civitate, imò & in toto orbe medicum esse habendum putaret. Sed ille sibi sapiat, ego quod pollicebar absolvere conabor. Erat igitur mihi amplius demonstrādum, Galenum in vero lethargo delirium, & illud perpetuum constituisse: quod facile fiet hac priùs proposita argumentatione, qua veluti radio quodam mathematico putamus nostrum axioma demonstrare. In omni cerebri inflāmatione est deliriū perpetuū, lethargus verus ex sententia Galeni, & aliorum omnium medicinæ auctorum, est cerebri inflamatio: ergo in lethargo vero est deliriū perpetuum. discursus legitimus est. quem non poterit culpare amicus Sanctius, sicut culpabat illam argumentationē, non quidem meam, sed quam ille pro suo arbitrio me fecisse imaginabatur, lōgè sane diversam ab ea, quæ fieri debuerat, ut paulò post apparebit. nunc hujus discursus singulas partes comprobemus. Major non

indiget cõfirmatione, nam & adverſarii ipſi agnoſcunt verè dixiſſe Galenum lib. 2. de ſympt. cauſis, de-
Cap. 7. liria & omnes depravatos motus principis facultatis à pravis humoribus, aut à cerebri intemperie ortum habere: ſed in omnibus cerebri inflãmationibus adſunt & humores pravi cerebrum moleſtãtes, & calida intemperies ex putredine ipſorum humorum cerebrum moleſtantium comparata, ergo in omnibus cerebri inflãmationibus erunt deliria, & pravi facultatis principis motus. Quare ſolùm demonſtrandum ſupereſt, lethargum eſſe cerebri inflãmationem, ut minor noſtræ argumentationis aſſerebat. hanc propoſitionem confirmant omnes Arabes præſtantiſsimi medici, & omnes ipſorum interpretes non contemnendi doctores, quamvis loquẽdi elegantia non polleant: qui omnes definiẽtes lethargum per cerebri apoſtema, ſatis ſuperq; propoſitam illam minorem confirmarunt. quam & Galenus multò priùs docuiſſe intelligunt omnes, qui ip-
Cap. 21. ſius verba penitiùs contemplantur lib. 13. meth. is enim dicens, Lethargum contrarium quodãmodo ſecundum ſpeciem eſſe phrenitidi, apertiſsimè oſtẽdit inflammationem eſſe lethargum, ſicut phrenitim. Hæc verba relata in noſtro epiſtolio cortice tenus conſpiciens doctor Sanctius, verè potuit affirmare ſe prorſus ignorare quorſum à me adducta fuerint. Sciet tamen modò, ſi ſeorſum ſingula conterantur & explicentur, quemadmodum me

in

in ipsius amici gratiam facturum pollicebar. Illud igitur priùs intelligat oportet, verè omnes dialecticos ab Arist. edoctos asserere, contraria esse quæ sub eodem genere posita maximè interse distant, unde contraria commune habere genus nemo est qui intrepidè non fateatur. quare dicens Galenus lethargum esse contrarium secũdum speciem phrenitidi, necessariò vnum genus utrisque cõmune constituere debuit. hoc autem esse inflammationem docebat lib. 11. meth. per hæc verba. Eadem ratione nec in cerebri, & ejus membranarum phlegmonis cucurbitulis in morbi initio utimur, &c. intellexisse auté hoc loco per inflãmationes cerebri & membranarum ejus lethargum & phrenitidem, fatebuntur omnes, qui integrum caput perlegerint, in quo methodus curatoria, & auxilia peculiaria ad prædictas duas illas affectiones, lethargum inquam & phrenitidem, docentur. cum præsertim Galenus ipse vocare soleat lethargum, inflammationé cerebri: phrenitim verò, inflãmationem mébranarum ipsius cerebri. locus est singularis apud ipsum Galenum 4. de causis pulſ. ubi ita ad verbum scriptum reperies. Neque hîc quidem causas illorũ, quæ diximus, invenire magni laboris fuerit, si scias generari à bilioso humore phrenitim, ut lethargum à pituitoso: si item hoc teneas, lethargum ex ipso potiùs cerebro, phrenitim præcipue gigni ex tenui meninge, & septo transverso, &c. Vbi notanter

Cap. 18.

Cap. 14.

dixit (ut obiter illud interpretemur) potiùs & præcipuè, per quæ verba apertiſsimè ſignificat interdũ licet rarò, alterutrum poſſe cõtingere. quemadmodum optimè interpretatur Avicẽna c. proprio dicens, Et plurimum quidem ejus fit in meatibus ſubſtantiæ cerebri abſq; velaminibus. quoniá phlegma rarò congregatur, & penetrat in paniculos cerebri propter ipſorum duritiem: ſicut etiam pleuritis ſecundũ plurimum eſt cholerica, & rarò fit phlegmatica propter parvitatẽ penetrationis phlegmatis in ſubſtantiam ſifachiam, ideſt, ſifac nervoſum durũ, &c. cum hoc tamẽ facilis eſt cõmunicatio affectionum cerebri ad ipſius meninges præſertim ad tenuem, ſicut ab hac ad cerebrum. auctore Galeno. 4. de præſag. ex pulſ. cujus hæc ſunt verba. Subtilis meninx, quæ cerebrum amplectitur, niſi unà cum cerebro, ſola mihi nullum iſtorum affectuũ ſubire videtur poſſe: nec etiam cerebrum citra meningem: ſed ſive citra fluxionem intemperies, ſive etiam in alterutrum horum incubuerit fluxio, ſtatim impartiri, mea quidẽ ſententia affectũ oportet alteri: hæc Galenus. ut cũq; tamẽ fuerit, verè ex illis Galeni verbis & locis poterimus colligere, inflámationem genus eſſe ad lethargum & ad phrenitim. & ex conſequẽti lethargum ex ſententia ſimiliter Galeni eſſe inflámationem, quod erat probandum. Hoc autem inventum non ſolùm eſt barbarorum, quos vocant, & Arabum, ſed etiam præſtantiſsimorum recentiorũ

Cap. 9.

utraq;

utraq; lingua Latina & Græca excellentium, inter quos est doctissimus Ingrassias, & meritissimus protomedicus Franciscus Vallesius in suis cõtroversiis, item doctissimus Trincavellius, in quorum auctorũ operibus me plurimũ esse versatum intelligens amicus Sanctius, non erat quod tam ineptam argumentationem in mei gratiam ex illis locis componeret. Nec etiam modo mihi vitio vertet, quod in illo epistolio privatim tamquam ad amicum misso dixerim, genus ad prædictas duas illas affectiones esse tumorem: nunc in hac publicè edita ad omnes adversarios contentione, inflammationem appellem. nam & doctor ille Vallesius c. citato in principio inflammationem: postea tumorem vocavit, utroq; enim nomine sine errore appellari poterit: dũmodo per inflãmationem intelligamus non propriè, & exquisitè sumptam, quæ simpliciter phlegmone & inflãmatio vocatur: sed cõmuniter dictam, quatenus comprehendit biliosas & pituitosas inflãmationes, quæ ex bile, atque pituita fiunt. & hoc pacto exquisita phrenitis ex bile orta, inflammatio Galeno non semel dicitur. sicut & peripneumonia, quæ à pituita fit, inflãmatio vocatur ab eodem multis in locis, ut longiori oratione interpretatur Ingrassias concludens ob eamdem rationem lethargum eodẽ modo inflammationem esse vocandum. Quã sententiam confirmarũt multò prius omnes illi doctores, qui grandem illam quæstionem, num cerebrum

De tumor. pag. 316. lib. 5. c. 2. Lib. epist. & de febribus Ingrassius lib. 11. meth. c. 18.

inflámari posit,per tractarunt. cujus partem affirmativam veram esse in phrenitide & lethargo ostédentes docuerunt, in his duabus affectionibus inflámari cerebrũ,non propriè quidem sicut partes carnosæ inflámationem subire solent,sed potiùs quantum patitur natura & peculiaris substantia cerebri mollis. Hinc duo poterimus facilè colligere: primũ peritissimos aliàs Valentinos & Complutenses medicinæ professores, vel prædictam quæstionem nũquam discipulos suos docuisse, vel amicitia ob cæcatos contra manifestissima omnium scribentium testimonia, sententiam suam protulisse. Alterum quod deducitur, & magis ad rem nostram facit,est, dandum necessariò esse in lethargo & phreniti unũ genus, quod est inflammatio cerebri. Hoc autem supposito táquam vero, & omnibus medicis confirmatissimo axiomate, intrepidè poterimus cócludere in lethargo propriè sumto,illa esse, quæ inflámationi cerebri peculiariter & inseparabiliter debétur. nam quæcũq; in genere reperiũtur,eadé & in suis speciebus reperiri est necesse. verbi gratia,animal genus ad hominé & brutum, quæcũq; propriè in se ipso habuerit,eadé quoq; in suis speciebus impartietur.& sic dicitur homo substátia animata sensibilis: sicut & brutum.nam genus animal illud habet propriũ & peculiare, quod sit substantia animata sensibilis. hoc proposito exemplo facile quæ supersunt interpretabimur,atq; demóstrabimus, verè

nos

nos dixiſſe lethargum habere delirium continuum ſeu perpetuum illiusque eſſe proprium & inſeparabile atque pathognomonicum indicium. quod ſic oſtendo. Propriū & inſeparabile indicium inflāmationis cerebri, eſt febris & delirium, ſed lethargus eſt cerebri inflāmatio, ergo lethargi proprium & inſeparabile indicium erit febris & delirium. diſcurſus legitimus eſt, major & minor ſunt ſuperiùs demonſtrata: ergo concluſio vera. ſed objicit amicus Sanctius. *Si hæc ratio eſſet vera, ſequeretur lethargum veram eſſe phrenitim. quod eſt maximū abſurdū.* Huic objectioni eſt facilis ſolutio, negātes enim ſequelam, oſtēdimus, quod licet in illis duobus cōveniāt lethargus & phrenitis, ſicut ſpecies ejuſdē generis, differūt tamen in aliis. quēadmodū auctores noſtræ medicinæ docuerūt. Nā in phrenitide febris eſt major, & deliriū cū vigilia & furore: in lethargo febris minor, & deliriū cū ſomno & quiete: pulſus etiam evariat, atque reſpiratio, et cætera indicia, quæ peculiares & proprias faciunt ſpecies. nam ſicut rationale & irrationale diſtingūt inter hominem & brutum, in quibus tamen erat eadem ſubſtantia animata ſenſibilis: ita magnitudo & parvitas febris, vigilia, & ſomnus, furor & quies, atque alia diſtingunt inter lethargum & phrenitim, in quibus eadem erat natura & proprietas inflāmationis, hoc eſt febris & deliriū. Qui hanc potuerit rationem aſſequi, non amplius inficiabitur delirium in lethargo, libenterque fatebitur

Hipp. lib. de coac. & alii ſuperius citati.

pro-

proprium inseparabile & pathognomonicum esse indicium: tamdiuque in lethargo delirium esse per mansurum, quamdiu inflámatio obtinuerit. Verum insurget protinus adversarius, atque dicet, Quosdá peritissimos nostri temporis medicos contendere lethargum interdum sicut & phrenitim citra inflámationem posse contingere, ex solo humoris in fluxu non dum inflammationem cōmittentis: ergo in illis non erit delirium. & ex consequenti falsò dictú fuisse in omni lethargo esse delirium. Respondeo illos auctores possibilia tantùm dicere, quæ tamen núquam contigisse comperient: atque proinde nequaquá repugnare prædictis nostris assertionibus, quinimo si penitiùs illorú rationes perpenderimus, inveniemus dubio procul nihil prorsus concludere, & cōtra Galeni receptissimam doctrinam statuere, posse dari phrenitim, aut lethargum citra cerebri inflammationem, quemadmodum spero me esse demonstraturum in ultimo proposito: ubi etiá ostendemus deliros esse lethargicos quando dormiunt, quantumvis tunc vana loqui non conspiciantur.

Va..sius et D...atus ab Alto.

Quare tutò jam poterimus affirmare, in vero lethargo dandum esse delirium: illudque tá diu esse permansurum, quádiu lethargus ipse affuerit. Nam signa & simptomata pathognomonica, que essentiam morbi constituunt: & ab ipsa profluunt, morbum semper commitantur, & unà cum ipso invadunt, ut docet Galenus. 1. Aph. de ejusmodi enim signis & simpto-

12. & 3. epid. cō 3. 34. lib. de const. art. med. c. 15.

ſymptomatis verè dicitur, quod ſequũtur morbum velut umbra corpus: nam quæ aſsidentia vocantur, non neceſſariò ubique ſupervenire ſolent, ſed interdum non apparent cum eſſentialia non ſint eodem auctore citato, habent & illud peculiare eſſentialia, & verè pathognomonica ſymptomata ſeu indicia, ut cum morbo increſcente augeátur, & manifeſtiùs appareant: eodem decreſcente imminuátur, & obſcuriùs conſpiciantur: de illis enim verè dixit Hippocrates 2. Aph. Omnia circa principia & fines imbecilliora, cum verò conſiſtũt fortiora. & hæc ſunt, quæ propria & inſeparabilia ſolet Galenus appellare, ut poſtea apparebit. nunc ad ultimi propoſiti enarrationem accedamus. *Aph. 30.*

Erat ultimo loco propoſitum demõſtrare doctorem Franciſcum Sanctium nequaquam opinionem ſuam comprobaſſe, nec meis ſatisfeciſſe rationibus & argumentis, atque præter omnium ſcribentium opinionem quæ adducebam teſtimonia interpretatum fuiſſe: ac proinde nec ratione, nec alicujus auctoris teſtimonio ſuas illas egregias interpretationes potuiſſe confirmare. quæ omnia modò præſtiturus ignoro prorſus unde exordiar, aut ubi finem faciam, adeo ut non ineptè poſsim hìc afferre quod Galenus adverſus Olympicum quemdam dicebat 1. meth. Afferens enim quamdam illius Olimpici definitioné admodum vitioſam. Tot, inquit, vitiis ſcatet, ut mihi in mentem veniat illud ſtulti ad cri- *Cap. 9.*

 brum

brum negantis invenire se quid ejus obturet, aut nō obturet. quid enim primum ex ipsis dicas, aut quid omittas? quippe omnia refutare, quæ perperá sunt

Cap. 3. dicta, longum est, &c. hæc Galenus. quæ & nos præfari decuit, ne in inmensum protrahi nostram disputationem aliquis vitio verteret: & si sciam aliquádo brevitatem esse condemnádam, veluti Galenus nos admonuerat lib. 3. de sanit. tuéda per hæc verba: Verùm si quis, aut necessarium aliquod theorema, aut quæ id confirment evidentes demōstrationes præteriens, brevitate se usum putat, hunc non tam de tali bonitate sibi placere, quàm certè pudore affici par est. Ergo in exordio statim suæ disputationis pollicetur exactam quádam interpretationem delirii & lethargi: *Sine cujus, inquit, exacta cognitione quæstio dirimi minimè potest.* Sed videamus exactam hanc cognitionem. supponit quidem ex Galeno tres esse hegemonicas, seu principes functiones, imaginatricem, ratiocinatricem, & memoratricem, atque earum vnamquáque triplicem læsionem posse in sua actione subire, deminutam sanè, ablatam, & corruptam. peculiariaque in vnaquaq; esse nomina, quæ Galenus tradidit, & ipse Sanctius ad verbum transcripsit, nihil prorsus aliud addens, nec advertens, num præter dictas tres illas functiones & facultates principatum obtinentes, sit constituenda quarta ab illis distincta ad sensum cōmunem. quemadmodum plures ex Peripateticis demonstrare conantur:

nantur: cum præsertim proprium illius munus Galenus dicat esse somnum & vigiliam, quæ ad delirii & lethargi exactam cognitionem facere videntur. Sed dicet tamen trivialem esse quæstionem de numero potentiarum principatum in cerebro obtinentium, & indignam, quæ à tanto viro explicaretur existimante citra illius determinationem posse propositam de delirio in lethargo controversiam explicari: Verum eadem ratione poterat non transcribere, quæ attulit Galeni verba, omnibus medicinæ studiosis vel nuper initiatis perspecta, quamvis multa ad exactam illorum explicationem præclaros etiam medicinæ professores latêre soleant. quæ consultò missa modo erunt facieda, ut cæteras amici Sanctii lucubrationes & admirandas interpretationes perpendere posśimus. qui postquam communia illa verba transcripsit, & alia transcribere non recusavit ex eodem capite, in quo Galenus deliria omnia pravos esse motus regentis facultatis esse dicebat: eademque partitur in deliria, quæ cum febre sunt & phrenitides nominantur, & quæ sine febre, ac maniæ vocantur. Qua in parte (antequam ulteriùs progrediamur) æquum fuerat, ut interpretaretur causam, propter quam Galenus in hac divisione nullam facit mentionem delirii melancholicorum. quod nec phrenitis, nec mania vocatur. unde deminutam fuisse ipsius divisionem suspicari poterit.

Lib. de symp. driis cap. 3.

 Quam

Quam ſuſpicionem debuerat amicus Sanctius à tãto profeſſore Galeno auferre, ſi exactã illorum verborum interpretationem parare ſtudebat: atque ſimul interpretari decebat, num verè Aurelianus capite de phrenitide contenderet dari maniam cũ febre,& hanc diſtingui à phrenitide vera. Quia maniaci, inquit, febris tarda eſt, & delirium antecedit ipſam febrem: pulſuſque major in maniaco, ſaltem in augmento febris. nec apparent peculiariter illa phreniticorum ſigna evellendi floccos, & ſimilia: quæ oportebat illum interpretari, qui exactam cognitionem delirii & lethargi reddere pollicebatur, cũ præſertim dixerit ſine exacta hac cognitione non poſſe controverſiam dirimi. Sed dicet illa conſultò ſe omiſiſſe ne animos judicum retardaret, ac protinus oſtenderet non eſſe delirium in lethargo conſtituendum, quemadmodum ſe feciſſe putavit. Dum poſt allata & nõ explicata dicta verba protinus ſubdit, *Omnia autem deliria præter melancholica, aut ex calidis ac mordentibus ſuccis, qualis maximè flava bilis eſt, aut ex calidiore cerebri intemperie ortum trahere conſtantiſſimè affirmat Galenus, ut vel ex hoc apertiſſimè conſtet, delirium à lethargo creari minimè poſſe, tantùm abeſt ut perpetuum delirium in ejus eſſentia neceſſariò conſtituatur, &c.* Hæc amicus. qui multa perpendere priùs debuerat in illis Galeni verbis: antequam ex ipſis apertiſsimè cõſtare dixiſſet, negandum prorſus eſſe in lethargo delirium, ne dum perpetuum. nam ſi ad delirium neceſſariò

Lib.1.c.5.

cessariò requiritur causa calida, utporè calidior cerebri intemperies, aut humor calidus & acris: quo pacto melancholicus humor suapte natura frigidus delirare facit? nec sat erit dicere, propterea Gal. notanter dixisse, præter melancholica, ut videlicet significaret illud peculiare habere melācholiam, quātumvis humor calidus non sit. de eo enim verè dixit Hipp. 6. epid. Si abit in mentem, melancholicū: si in corpus, epilepticum efficit. Quæ verba adducit & interpretatur Gal. 3. de loc. affect. eadem quoque interpretari debuerat amicus Sanctius, cum exactā delirii cognitionem reddere studebat. Quam si ipse integrè caluisset, nec silentio præteriret causam, propter quam humor melancholicus, sicut & biliosus, delirare cogit: nec ita facilè constare dixisset negandum esse in lethargo delirium. Verùm ipse verborum fortasse corticem tantūmodo conspiciens, atq; videns deliria, præter melancholica, aut à calidis & mordacibus succis, aut à calidiore cerebri intemperie auctore Galeno oboriri, putavit in lethargo non esse deliriū, Quia, inquit, frigus immoderatius aufert, aut inminuit actiones: cur tamen easdem non posit vitiare nulla probat ratione nec auctoritate. Sed demus ita esse, ut perpendere posimus qualiter ostendit in lethargo causam esse frigidam, & propterea in ipso auferri, aut inminui functionem facultatum principatum in cerebro obtinentium, & nequaquam vitiari: *Atqui lethargus, inquit, ut nomen*

Com. 8. tex. 40.

Cap. 7.

ipsum sonat, nihil aliud est, quàm oblivio ociosa (λήθη ἀργή): *quæ in cerebro ex tumore, vel putrescēte pituita oritur, vnde inseparabilis lethargo febris: oblivio etiam, segnitia altus ac ægrè excitabilis somnus ex eadem causa eveniunt, &c.* Ex quibus verbis qualiter propositum ostendat, nemo consequi poterit. Erat enim illi probandum lethargum à causa frigida oboriri: & dicit lethargum fieri à tumore vel à pituita putrescente. si à pituita putrescēte, quo pacto à causa frigida? putrescens enim pituita calorem subire est necesse, quemadmodum

11. meth. c. 8. 1. de drū feb. cap. 6. 8. meth. c. 7. & reliqua omnia, quæ putrescunt, sicut longa oratione probat Gal. in omnibus humoribus, & aliis putrescentibus. quod & particulariter in atrabile ostendebat 2. de sympt. causis, dicens, Nigra namq; Cap. 5. bilis frigidus natura succus est, sed cum putredinem sibi adjunxit, cujus causa febrem accendit, tantum possidet caloris, quātum etiam putredinis &c. quod & ratio ipsa ostendit. omnis enim putredo vel Arist. Cap. 1. ipso auctore 4. metheororū, ab extraneo calore proficiscitur. quare si humor pituitosus in cerebro putrescens calorem præter naturā suscipit, necessariò delirium concitabit, vel ex ipso Galeno, qui omnia deliria præter melancholica, dixit ex calidis & mordacibus succis, vel à cerebri calidiore intemperie ortum ducere. Com. 45. vnde optimè Idē auctor 3. epid. com. 3. ex eisdem humoribus crudis putrescentibus deliria suboriri ostendebat, dicens, Non est igitur novum in corpore crudis collectis humoribus, ut ex cremē-

ta cōmonſtrarunt, eſſe ſopitos illos, ſimul & dementes evaſiſſe: ſopitos quidem, ex multitudine & frigore ſuccorum crudorum: dementes, quod acredinem pariebant & calorem putreſcentes &c. hæc Galenus. per quæ apertiſsimè demonſtrat humores crudos, cum putreſcunt, acredinem & calorem parere, ac proinde deliriū efficere. hæc verba nō poterit unquam amicus Sanctius typhomaniæ adaptare. Nā in hac neceſſariò mixta debet eſſe cauſa ex humore bilioſo & pituitoſo. in prædicto autē textu ſimplex eſt humor nempe crudus, qui per putredinem calorem & acredinem ſubit, quemadmodū optimè interpretatur etiam doctiſsimus Valleſius, cujus verba poſtea ſumus allaturi. nunc ſat erit oſtendiſſe vel ex his, quæ affert doctor Sanctius verbis, lethargū non quidē à cauſa frigida, ſed potiùs à calida ut pote à pituita putreſcente oboriri, & ex conſequenti delirium habere conjunctum. Ac proinde non ſolum quod propoſuerat nō oſtendiſſe, ſed potiùs meā ſententiam comprobaſſe: tanta eſt veritatis vis, ut cogat nolentes etiā ipſam fateri. quemadmodū Gal. 6. de uſu part. de Adraſtiæ lege dicebat per hæc verba: Oſtēdereque neminē Adraſtiæ legē poſſe effugere, etiam ſi quis aſtutus admodum ac dicendi peritus fuerit, quin confiteatur tandem & ipſe ſuam vafritiem, feratq; veritati teſtimonium, quā alius quivis, multo graviùs, qui invitus ad teſtādū acceſſerit. &c. Sed videamus quæ amplius in cōfirmationē affert.

Cap. 12. Lib. 2. de ſemine. c. 4

Eſt

Est igitur, inquit, lethargus memoratricis abolitæ facultatis symptoma. quod si Galeno credimus, frigidæ causæ ad scribendum necessario est. non enim à causa calida memoria unquam deperditur, &c. Hæc ille protulit: quæ tamen non videtur intellexisse (quod ejus pace dixerim) nã si abolitæ tantum memoratricis lethargus symptoma esset, & à causa frigida ortum duceret, nequaquã à deperditæ memoriæ symptomate separaretur, eademq; prorsus in lethargo esset affectio, quæ in deperdita memoria conspicitur. quod quam sit absurdum nemo est, qui non conspiciat, & ipse Sanctius fatebitur si suo ingenio valuisset distinguere inter memoriam deperditam, & lethargum verum. Longè enim diversæ sunt affectiones, & longè diversas habent causas, distinctamq; admodùm curationem declarant. Præterea quo pacto asserit memoriam
Cap.6. semper ob causam frigidam deperdi, si paulus lib.3. verè docet in phrenitide atrabiliosa deperdi etiam memoriam? ejus verba sunt, Quemadmodũ quibus atra vitium contraxit: tam immaniter sæviunt, ut coerceri nequeant, omnium, quæ dicũt, faciunt vè, obliviscuntur, &c. Et quod majus fortasse judicabit
Cap.2. amicus Sanctius, Aet. de phrenitide agens lib. 6. in universum asseruit, in morbis febrilibus cum deperditur memoria simul rationem & imaginationé perire. quod autem per verbum perire eò loci intelligat Aetius non imminutam seu ablatam actionem sed depravatam qualis in delirantibus conspicitur, aper-

apertius est, quàm ut demōstratione indigeat. nam in eo capite de differentiis phreniticorum agit, in quibus principum facultatum actiones non inminuuntur, nec auferuntur, sed potius vitiantur, quod similiter affirmabat Galenus lib. 5. de loc. affect. ubi tradens phreniticorum signa dicebat, Interdum verò adeo agrestis accidit oblivio, ut laborátes aliqui, cum matellam petivissent, mejere tamen neglexerint: aut cum lotium emitterent, matellam ipsam prodere haudquaquam meminerint, &c. Ex prædictis locis poterimus affirmare, non semper lædi memoriam ob causam frigidam, quemadmodum ipse putabat: ac proinde mirandum nō esse, in lethargo ex putrescente pituita acredinem, & calorem ob putredinem suscipiente vitiari facultates imaginatricem, vel cogitatricem, aut utramque simul: & deperdi memoriam, quamvis non ignoremus segnitiem, soporem, & memoriæ læsionem in lethargo oboriri etiam ex copia, & peculiari natura humoris pituitosi, quæ in pluribus ipsius partibus adhuc permanet, quemadmodum apparet in reliquis omnibus putrescentibus, vel aliquam aliam alterationem subeuntibus, ut docet Galenus lib. de Inæquali intemp. & in aliis multis locis, afferens optimū illud exemplū lanæ, quādo colore aliquo imbuitur. Hæc altiora fortasse videbuntur, cum præsertim non possint modò longiore oratione à nobis explicari: quippe qui rationes tantum nostri amici expendere studemus

Cap.4.

Cap.8.

1.prorrhe com.1.33.

E

demus,ut agnoſcat Gal. lib. de Sympt. differentiis aſſerentem in principatum obtinentibus functionibus motum fieri deficiẽtem & imbecillum: Qualis, inquit, in comatis & lethargicis cernitur,&c. intelligendum eſſe non in vero lethargo, ſed in lethargo cõmuniter de omnibus ſoporoſis affectionibus dicto, ut ſuperiùs annotabamus. Cauſa autẽ, propter quam in ſoporoſis affectionibus, inminuũtur, vel au feruntur functiones facultatum principatum obtinentium, & non vitiantur, eſt quia in illis humor pi tuitoſus non putreſcit, & ita ſua frigiditate, & humiditate obtundit & hebetat actiones: at in lethargo vero eadẽ pituita putreſcens acris, & calida reddita, vitiare etiam actiones, & deliria procreare valet. nã ob eamdem cauſam in vero lethargo adeſt febris: non in aliis ſoporoſis, & rheumaticis affectionibus ob eamdem cauſam proveniẽtibus, ſicut nec in deperdita memoria unquam conſpicietur, quemadmodũ omnes medicinæ auctores advertũt. Qui hæc non novit, nec etiam noſcere poterit diſcrimen inter vitiatam, & ablatam, vel diminutam actionem: licet verba, quibus à Galeno ſeparantur, trãſcribere valuerit. Hæc ſunt, quæ pro ſua opinione doctor Sanctius teſtimonia & argumẽta affert: quibus putans ſe ſufficienter rem demonſtraſſe, ſubdit, *Egimus hactenus de delirio & lethargo, quatenus ſimplicia ſymptomata ſunt, ut conſtaret dogmatis abſurditas eorum, qui lethargum dici non poſſe, cui non adjunctum perpetuum*

ſit

ſit delirium, contendunt, &c. Hæc ille. Quibus nequaquã noſtri dogmatis abſurditaté, ut ipſe vocat, patefecit nec lethargi & delirii, ut ſimplicia ſunt ſymptomata, rationem & eſſentiam enarravit: quemadmodum intelligent, qui veritatem non cõtumeliis, ſed veris rationibus, & concertationibus conſequi ſtudent. Verè enim dicebat Cicero lib. I. de Finibus Differentium interſe reprehenſiones vituperandæ non ſunt: contumeliæ autem, iracundiæ, contentiones, pertinacesq; in diſputando concertationes indigna ſemper optimorum quorũque ingeniis cenſentur, &c. Quod autem de compoſita affectione diſputationem proponit, præter inſtitutum fecit, & lõgiorem enarrationé, ac majorem eruditionem ex poſtulare videtur. in qua tamen ipſe præter verba Galeni nihil cõmentatione dignum attulit. Nam quam affert textus emendationem, omnino menti ipſius Galeni eò loci, & in multis aliis repugnare conſpiciet, qui hujus affectionis miſtæ naturam fuerit aſſecutus. Conabatur autem ipſe ex ſuo arbitrio, nulla adhibita ratione, textum emendare, ut ſic ſe liberare poſſet à manifeſtiſsima Galeni auctoritate in meam ſententiam allata: quemadmodum intelligent, qui valuerint libri illius de comate ſententiam aſſequi: difficilior enim eſt, quam ut tam brevi oratione comprehendi poſsit. quare jure optimo illius tractationem relinquétes, quæ præſenti inſtituto nihil facere videtur, illud

 tantum

tantum annotabimus, deceptum fuisse doctorẽ Frãcifcum Sanctium ex verbis ipsius etimologiæ: cujus errorem Avicenna ipse patefecit de lethargo agens. Quoniã, inquit, interpretatio lethargiæ est oblivio, & hanc ægritudinem comitatur oblivio, & propter nomen ejus errant in ipsa plures medicorum ignorantes, quòd intensio in ipsa est ægritudo facta ex apostemate frigido. existimant, quod hæc ægritudo in se ipsa sit oblivio. hæc Avicenna. Quæ si amicus Sanctius perspecta haberet, nequaquã in eumdem incideret errorem, nec tam levibus & male perspectis fundamentis delirium in lethargo negaret. cum præsertim pro altera parte apertissima sint nostrorum omnium testimonia, & firmissima argumenta à nobis paulò supra adducta, quibus nec Sanctius, nec ipsius judices repugnare poterunt, quando paucis illis in meo epistolio adductis non potuerunt satisfacere. quamvis nullum non moverent per multos dies lapidem, ut dici solet, quemadmodum jam demonstrare accingor.

Cap.21. In primis adducebam testimoniũ ex lib. 13. meth. quod ipse fatetur prorsus ignorare quorsum fuerit adductum, quia essentiam lethargi eò loci brevissimè à Galeno explicatam nũquam anteà assecutus fuerat, quam si modò nostra opera minutissimè cõtritam & explicatam consequi valuerit, speramus fore ut melius in posterum sapiat. Verùm ne ipsum adhuc perturbent verba illa, Ergo cum humor, qui in

in cerebro redundat, frigidus eſt, inſenſibilitas, immobilitaſq; hominem opprimunt: cum verò calidus eſt, perpetuus motus, unà cum rationis noxa, &c. interpretanda nobis erunt: ut intelligat ex illis non oppoſitam, ut ipſe amicus inquit, ſed potiùs meam opinionem ampliùs confirmari: quemadmodum ipſe fatebitur ſi univerſum caput perlegerit: nã poſtquam Gal. in eo docuit particularem phrenitidis ex humore bilioſo comparatæ, curationem, ſubdit: In contrariis autem vitiis excitare atque noxii humoris, qui citra putredinem, & citra febrem altos ſopores invehit, craſsitudinem incidere, atque excalfacere. tales nimirũ altos ſopores apoplexias, & caros, & cathocas Græcè vocant. quod ſi aliquãdo humor putreſcat, utique cum febre incidunt ea genera, vocaturque morbus lethargus, &c. hæc Galenus. Quibus ita mentem ſuam interpretatur, ac ſi divinaret futurum aliquando, qui falſò exiſtimaret in lethargo humorem pituitoſum immobilitatem & inſenſibilitatẽ efficere, veluti in apoplexia, caro, & catocho: non valens ſcilicet diſtinguere inter humorem pituitoſum citra putredinem, & citra febrẽ: & eumdem putreſcentem, & febrem excitantem, cujus ratione acredinem & calorem præternaturam in lethargo acquirens, longe diverſum facit ipſum à cæteris affectionibus rheumaticis, & ab omnibus aliis ſoporibus, qui ſine febre infeſtant: ac proinde mirandum nõ eſſe humorẽ pituitoſum in lethargo

vero delirium producere, non in aliis affectionibus, in quibus citra putredinem cerebrum opprimit. Nō igitur ex illis Galeni verbis opposita, sed potiùs mea comprobatur sententia, si simul cum aliis conjungantur, & non truncata afferantur.

Alterum autem testimonium, quod adducebam ex lib. Quod animi mores, ita solvit, ut planè videatur fateri, nec scopum Galeni in illo capite, nec verba pro confirmatione meæ sententiæ allata intellexisse. nam dicens Galenus nec cur flava bile in cerebro redundante ad delirium, nigra verò ad melancholiam trahamur: cur vero pituita atque omnino frigorifica sint lethargis auctores, ex quibus & memoriæ & prudentiæ corripimur læsionibus, &c. ipse putat coujunxisse Galenum has duas læsiones, ita ut læsio memoriæ tribuatur lethargo, læsio verò intellectus seu prudētiæ ad melancholiam referatur. verùm cum hæc solutio, & interpretatio nequaquam posit adaptari verbis Gal. in quibus relativum, ex quibus, solum referre debet morbos lethargicos, ut vel grāmatici ipsi norunt, machinatus alteram solutionem, dicens, *Aut si malis utrumque de lethargo dici intelligas offensam intellectus, qualis (videlicet) in lethargis reperiri potest, qua inminuitur quidem, non tamen depravatur actio.* Hæc amicus Sāctius, nō bene advertens, per læsionē intellectus intelligere voluit inminutā actionem: cū in prima solutione eamdem læsionē interpretaretur de vitiata actione, hoc est, de delirio,

Cap. 3.

rio, quod in melancholia reperitur. Sed hoc tolerari fortasse poterit, quia videns nomina ad placitum significare, existimavit licere sibi pro arbitrio ipsa interpretari, atque idem verbum modò uni significationi, modò alteri adaptare, prout sibi visum fuerit. Quo nomine etiam licebit ipsi affirmare ex illis Galeni verbis contrariam potiùs, quàm meam cõprobari sententiam, quatenus videlicet, ex suo arbitrio vult aliam habere significationem diversam ab illa, in qua à reliquis omnibus medicis accipiuntur. quod ridiculosum valde esse fortasse agnoscet, si pacato animo (ut ego sæpius amicum admoneo) hæc perlegerit atque simul agnoscet, se illud caput ex lib. Quod animi mores, aut non legisse, aut non rectè percipisse: nam dicit Galenum existimasse proposita illa problemata nõ posse solvi, nisi anima mortalis mendosè statuatur, non advertens problemata illa, argumenta esse, quibus Galenus eò loci conatur ostendere, actiones facultatum, quæ in corpore exercentur, non posse referri ad animam, sive mortalis, sive immortalis cum Platone statuatur, & propterea in principio statim illius capitis dicebat, Cæterum ex iis totius animæ speciebus, ac partibus ratiocinatricem immortalem esse Plato quidem persuasus videtur. Ego verò neque esse, neque non esse intendere adversus eum habeo, &c. non vult igitur Galenus disputare utrũ anima mortalis, an ĩmortalis sit cõstituẽda: tũ

quia

quia fatetur se ipsius essentiam ignorare, tum etiam quia argumenta, quæ affert, putat sufficere ad ostendendum actiones facultatum, & ipsas facultates nõ animæ, sed potius certo corporis, & illarum partiũ, quibus exercentur, temperamẽto esse referẽdas. nã everso illarum vel corporis temperamento separari animã à corpore constat, quod ipse his verbis protulit. illud verò clarè diluens novi, tũ à sanguinis evacuatione, tum à potu cicutæ refrigerari corpus, à febre autem vehementi, supra modum calefieri: & rursus idem dicam, cur frigescens, aut supercalefaciens corpus anima prorsus relinquat, cum multum quæsiverim non comperi: quemadmodum nec cur flava bile, &c. quæ superiùs sunt adducta de læsionibus facultatum principatum in cerebro obtinentium. vnde in fine capitis totam disputationem concludit dicens: non solum autem, ut dixi, temperatio corporis, animæ quoq; functiones immutat, sed ipsam etiam sejungere à corpore valet. Quid enim aliud dicere quispiam posit, cum refrigerantia & calefacientia cernat medicamenta eum protinus, qui ingesserit perimentia? ejus porrò generis venena quoque censentur ferarum, itaque morsos ab aspide interire illico videmus, perinde ac à cicutæ potione, quasi veneno ejus quoq; refrigerante: ergo necesse erit vel iis, qui essentiam animæ peculiarem esse supposuerunt, temperaturis ipsam corporis ancillari fateantur, si separandi quoque facultatem habent,

habent, & decipere cogunt, & memoria ac pruden-tia ſpoliari & triſtiora ac timidiora, minimeq; animoſa cõmittere, ut in melancholiis videtur. & horum contrariis præditus eſt is, qui vino mediocriter indulget, &c. hæc Gal. per quæ apertiſsimè demonſtrat, longè aliam fuiſſe ipſius mentem, & valde diverſam ab ea, quam ſuſpicabatur doctor Sanctius, qui conſideratiùs feciſſet, ſi illam non aggrederetur interpretationem, quæ magis reconditam continebat doctrinam. Nam, ut inquit Galenus ex ſententia Platonis, minus ab errare illos conſentaneum eſt, qui ea non aggrediuntur, quæ non norũt: quam qui illa tractant, quæ nunquam didicerunt. Simul etiam conſtare poterit, Galenum ipſum ubique certo huic temperamento tribuere, quod Ariſt. & alii philoſophi formæ ſubſtantiali referunt. nam ſecundum eamdem ſententiam dicebat. lib. 1. de uſu part. inſunt autem primùm & maximè temperamenta, quippe quæ propriam particularum ſubſtantiam compleant. corpus enim tale natura eſt, propterea quod calore, frigiditate, humiditate & ſiccitate ſic cõmiſtum eſt. nam carni eſſe carnem, & nervo eſſe nervũ, & aliorum unicuique id eſſe, quod eſt ob qualitatum quatuor prædictarum certam quãdam temperaturam & miſtionem cõtingit, &c. quæ in eamdem confirmationem affert, & lib. 1. de præſag. ex pulſ. in eamdem ſententiam quoque dicebat facultatis eſſentia ſingularum particularum in ſingularũ

Lib. de venæ ſect. ad verſ. exaſ. cap. 6.

Cap. 9.

Cap. 8.

F illarum

illarum posita commodo temperamento est., &c.
Cap.8. et 2. ejusdem operis multo apertiùs dicebat. nec enim priùs hoc decretú, quàm undique reperissem constans pronunciare fui ausus: nunc quando essen tiam facultatum adducti sumus nihil esse aliud præ ter qualitatem temperamenti, omniaque & in cognoscendo, & in prædicendo, & curando convenire cum hoc decreto animadvertimus, non absurde nos arbitramur fecisse., qui pulsus hîc comitantes cordis inæqualem intemperié explicavimus, &c. notanter autem hoc loco dixit decretum illud maxime convenire cum omnibus, quæ in prædicendo, dignoscendo, & curando morbos traduntur. nam medicus ad illa omnia considerat facultatum omnium actiones, quatenus auferri, vel imminui, aut vitiari possunt: has autem mutationes subeunt non ex parte formæ substantialis, à qua etiam fluunt: quia hæc nec habet contrarium, nec potest suscipere magis & minus auctore Arist. cap. de substantia, & multis aliis locis: sed potiùs quatenus dependent ex certo illo partium & organorum temperamento, quod alterari, immutari, vitiari, & corrumpi solet., & hoc est, quod etiam vo-
Cap.4. luit significare Arist. 1. de anima dicés, Etenim si senex talem acciperet oculum, videret sicut & juvenis, &c. unde vel ipso Arist. auctore actio videndi imminuitur in sene non ex parte animæ, sed potiùs ex parte organi, hoc est, ipsius oculi: quod & in

reli-

reliquis facultatum functionibus facilè poterit ostendi, quemadmodum in universum dicebat Gal. 2 de naturalibus facult. dicés, Tum quod sive quis venas, sive jecur, sive arterias, sive cor, sive ventriculũ, sive aliam particulá ullam fungi quacũque actione dicat, inevitabili necessitate cogetur propter certá ex quatuor corporibus temperiem edi actionem ab illa fateri, &c. Et hoc est quod idem Galenus significabat lib. de substantia nat. facult. Vbi affirmans, se essentiá animæ prorsus ignorare, subdit, atq; hac in re nihil sanè medicam artem inde offensum iri puto, quod in animæ immigratione, aut demigratione exploranda hallucinemur, &c. Sunt & alia multa ejusdem Galen. testimonia demonstrantia caput tertium ex libro, Quod animi mores corporis sequantur temperaturam, multò aliter esse intelligendum: quæ consultò prætermitto, quia ad nostram quæstionem nihil facere possunt. quæ autem adduxi eo feci consilio, ut amicus Sanctius agnosceret quantum intersit diurna & nocturna manu non solum auctorum libros, sed etiam doctissimorum professorum theoricas, quas vocant, manu scriptas evolvere, non quidem ad laudem popularem aucupandam, aut aliorum rectè constituta placita evertenda: sed potiùs ad veritatem penitiùs scrutandam. Nam, ut inquit Galen. lib. de præcogn. ad Posth. Indignis nõ dandi sunt libri, ut eos legant. Voco autem, ait, indignos

Cap. 9.

Cap. 3.

Cap. 9.

quicumq; malo animo ſunt,nec libros,ut diſcant,legunt, ſed ut quempiam inde calumnientur.Sed hæc obiter, nunc ad penſum revertamur.

Tertium teſtimonium adducebam ex lib. 3. de loc. affect. cap.5. ubi Gal. videtur apertiſsimis verbis noſtram ſententiam confirmare. nam principio capitis dicebat,ſic in lethargo atque omnibus ſoporoſis affectionibus utræque pereunt, &c. quemadmodum ipſe paulò poſt particularius interpretabatur per alia verba, quæ in prædicto meo epiſtolio amplius afferebam: quæ habent: Læduntur etiam principales animæ functiones cum febre,ut in phrenitide & lethargo, &c. quibus propoſitis interrogabam ipſum doctorem Franciſcum Sanctium,qué tunc mei amantiſsimum eſſe credebam, quo pacto delirium perpetuum in lethargo negare poterat: ipſe verò cùm nequiret verbis apertiſsimis repugnare,ſubterfugere videtur argumentum: dum inquit, *Cui roganti paucis reſpondeo,quoniam in lethargo non adeſt neceſſariò delirium.* Sed videamus qualiter oſtendit non adeſſe delirium. *Atque idipſum*, ſubdit, *ille mecum putabit ſi Gal. à ſe adducta verba relegerit omnia, &c.* Quaſi verò truncata tantum verba,ut ipſe ſolet, perlegere cõſueverim. univerſum quidem caput, imo & integros ſex de loc.affect.libros ſæpius evolvi, & evolvere non deſino. verum cum hoc ad noſtram diſputationem nihil prorſus faciat, videamus, quæ ſunt illa verba, quæ à me iterum eſſe relegenda ad-

mo-

monet : ea autem ſunt: utriuſque noxa ab eadem diſpoſitione procedente, quæ ubi vehementiùs intenditur, ſimul cum memoria ratio quoque deperditur, quæ affectio moroſis nō paraphroſini nominatur. hæc Gal. ex quibus qualiter colligat in lethargo non eſſe dandum delirium, nec ipſe annotavit, nec aliquis alius unquam colligere poterit. Sed videamus quid amplius dicat. ſubdit enim ſtatim, *Atque hæc, inquit, eſt læſio, quæ ubi lethargi cauſa vehemētiùs intenditur, principibus animæ functionibus accidere poteſt, ut quæ diminuta fuit actio ob adauctam mali cauſam ad omnino abolitam delabatur, non autem ad depravatam, que bili flavæ à Galeno tribuitur 2. de ſympt. cauſis,* Hæc Cap. 7. eſt integra illius ratiocinatio, in qua ita cæcutire videtur, ut nec verba, quæ me iterum relegere admonebat, ſemel fuerit conſpicatus. nam dicēs Gal. quæ ubi vehementiùs intenditur ſimul cum memoria ratio quoque deperditur apertè videlicet ſignificans, lædi non ſolum memoriam, ſed etiam rationem, quando diſpoſitio, hoc eſt, intēperies læſionis cauſa vehementiùs intendebatur, ipſe putat ad eamdem tantùm memoriæ læſionem facere augmentum intemperiei lædentis, ita ut quæ priùs imminuebat memoriam, poſtea vehementiùs aucta omnino auferat. Sed demus illi contra manifeſtiſsima Galeni verba, & apertiſsimum verborum ſenſum poſſe illam adaptare diſtinctionem de imminuta & ablata actione, verbis Galeni, quæ erant, Vtriuſque

noxa ab eadē dispositione procedente, quæ ubi vehementiùs intēditur, simul cum memoria ratio quoque deperditur: quæ affectio stultitia nominatur. Quid inde colligit? negandū ne in lethargo deliriū? absit tantus error. Nam Galenus eo loci de læsione memoriæ agēs optimè docebat ipsam sæpe lædi cū ipsa ratione, sicut & ratio ipsa solet lædi cum memoria, ejus verba sunt. Memoria enim sæpe vnà cū læsione quadam rationis fieri conspicitur: quemadmodū & rationis læsio unà cū memoria læsa utriusque noxa ab eadē dispositione procedēte: quæ ubi vehemētius intēditur simul cū memoria ratio quoq; deperditur, quæ affectio stultitia nominatur. Hæc sunt integra Galeni verba, ex quibus qui voluerit ostēdere negādū aut cōcedendū in lethargo deliriū, nō poterit eādem stultitiæ dispositionem nō subire. quid enim stultiùs, aut magis fatuum dici poterit? quam verba Galeni de ablatione memoriæ & rationis, adaptare lethargo? dicet tamen pro Sanctio aliquis, quod Gal. ipse eadem verba tribuere videtur lethargo, quia subdit, Sic in lethargo etiam atq; omnibus soporosis affectionibus utræq; pereūt, &c. ubi verbum, sic, videtur similitudinem denotare ad memoriæ & rationis ablationem, ac si diceret, eodem modo in lethargo & omnibus soporosis affectionibus memoria & ratio pereunt: atque in ipsis sequetur eadē affectio, quæ stultitia nominatur, & nō deliriū. hunc dicēdi modū si amicus Sāctius attingere

valuisset,

valuiſſet, certam ſibi polliceretur victoriam, atque proclamaret protinus vel ex ipſo Gal. in lethargo nō delirium, ſed potiùs ſtultitiam eſſe concedendā. Sed audiat ipſe & reliqui omnes, quibus modus ille dicē di placere poterat, qualiter verbum illud, ſic, interpretetur doctiſsimus, neque unquā ſatis pro meritis laudatus doctor Thomas Rodericus, ſignificat, inquit, Quemadmodū febris nōnunquā ipſa morbus eſt, aliquādo morbi alterius ſymptoma: ita læſiones has, vel ipſas perſe, ceu abſolutas affectiones afligere, vel ſequi, ceu lethargi aut catochi ſymptomata. hæc ille doctiſsimus vir: per quæ maximam lucem affert ad caput citatum de memoriæ & rationis læſionibus. in quo Gal. priùs docet ipſas cognoſcere quādo perſe & veluti abſolute ſunt affectiones, deinde quando morborū ſunt veluti ſymptomata. & propterea notanter, Ego poſt illa verba, ſic in lethargo, &c. ſubjungebam alia, quæ habent. Itaque læduntur etiam cum febre, &c. ut videlicet ex utriſq; colligeret amicus Sāctius neceſſariò in lethargo dādum eſſe delirium perpetuū. quare verbū illud, ſic, non ſimilitudinē ad affectionē, ſed potiùs ſimilitudinē ad modum, quo læſiones principum functionū cōtingere ſolent, referebat. Verū quod nec amicus Sanctius, nec ejus Iudices voluerunt colligere, ego modò interpretabor: dicens igitur Gal. in lethargo vtraſque functiones perire, & poſtea ſubdens, Itaque læduntur etiam cum febre principales animæ functio-

Eodē. 3. de loc. affect. c. 4. p. 126

functiones, ut in phrenitide & lethargo, interdum sine febre vitium est, ut in mania & melancholia, &c. apertè significat in lethargo dandum esse delirium. nam si in lethargo læduntur principales animæ functiones cum febre, sicut in phrenitide, necessariò eodem modo lædentur, sed in phrenitide læduntur cum delirio, ergo & in lethargo, quod autem tale delirium in lethargo debeat esse perpetuum, sicut in phrenitide, ex eodem Gal. in eodem capite demonstro. Nam Gal. eò loci prædictas quatuor affectiones phrenitim scilicet, lethargum, maniam, & melancholiam dicit posse cõtingere per primogeneam cerebri affectionem, & per consensum: atque utrumq; distinguere docet inter alia ex perpetuitate, aut intermisione symptomatis, subdens, Quemadmodum modò per consensum, modò primaria affectione cerebri. cum igitur propriis accidẽtibus exactè discernuntur hujusmodi vitia, & perpetua sunt, neque aliis præcedẽtibus supervenerunt primogenea affectione: cum verò propriis accidentibus discerni non possunt, neque perpetuò permanent, atque ad alias affectiones cõsequuntur, per cõsensum ipsa constare dicimus, &c.
Cap. 4. Eamdem doctrinam confirmabat lib. 5. ejusdem, ex quibus ita concludo. Lethargus verus per primogeneam cerebri affectionẽ morbus est delirium efficiens: ergo erit tale continuum seu perpetuum. Cõsequẽtia adeò patet, ut vel hoc solo testimonio mea suffi-

mea sufficienter demonstretur sententia. nec propterea credendum est, eamdem esse affectionem lethargum & phrenitim. nam licet in genere, & in ipsius generis propriis symptomatis, quæ sunt febris continua & delirium. conveniant: in aliis separantur, quemadmodum supra annotabamus, & paulo post particulariùs adhuc interpretabimur. Nunc alias afferamus Sanctii solutiones & interpretationes.

Quartò conatur reprobare illam rationem, quā pro mea sententia afferebam. Cum enim ad eam supponerem ex cōmuni medicorum schola, lethargum esse tumorem præter naturam in cerebro. ipse putavit ab hoc axiomate exclusum fuisse Galenum, & pro omni schola fuisse sumtum Avicēnam, quod modò non dicet, si meam hac de re superiùs allatā enarrationem voluerit assequi. Sufficienter enim demonstravi lethargum ex sententia etiam Galen. esse inflāmationem, & ex consequenti tumorē præter naturam, qualem videlicet substantia cerebri mollis, & ex pituita putrescēte potest subire, quemadmodum eò loci annotabamus: non diversam facientes argumentationem ab ea, quam modò in mei gratiam conficit, dicens, *Quid inde colligit amicus doctor? Illud ne, si lethargus est tumor, in eo perpetui delirii inesse necessitatem.* Ita enim ait, nam & si humor efficiens lethargum sit frigidus, putredinem tamen sibi adjunctam habet, cujus causa calorem & acre-

dinem contrahit, quæ ſunt in cauſa dementiæ, aut delirii: in cujus confirmationē adducit Galeni verba ex text. 45. lib.3. epid.com. 3. &c. hæc ſanè mea ſunt verba, quibus exactiſsimè demonſtratur, quod propoſitum erat, quemadmodum ſuperius deſtinctius explicavimus. non placebant autem amico Sanctio, quia ipſa fortaſſe noluit conſpicere. Nam ſubdit, *Quibus rationem Galenus reddit, cur ea tempeſtate peribant quidam cum lethargo phrenitici, quod nos ex humorum permiſtione fieri poſſe minimè negamus,* Hæc ille, qui ut manifeſtiſsima verba ſubterfugeret, ea affirmativè tranſcripſit, quæ cū negatione ſcripta ſunt. Gal. enim eò loci rationem rimatur, propter quam dixerat Hippocrates, nec phreniticorum inſanivit quiſpiam, non ut ipſe inquit, cur quidam cum lethargo phrenitici peribant: quod falſum eſt, & contra Galeni interpretationem, dum inquit: Si non prædiceret nec phreniticorum inſanivit quiſquam: ſed ſimpliciter dixiſſet præſentes phreniticos veterno periiſſe, nō erat abſurdū accipere eos cōverſione in lethargū facta, ita defunctos eſſe. Nūc cū ſit prædictū, nec inſanivit quiſquā: probabilius eſt periiſſe cū ſopore perpetuo phreniticos, hoc eſt, demētes, &c. ex quibus verbis cōſtat nō agere eò loci de phrenitidis & lethargi permiſtione, ſed de una ſolū affectione, ſcilicet de lethargo, quod & cauſa, ex qua affectionē dicebat oboriri, ſufficiēter demōſtrat. dicit enim, nō eſt igitur novū in corpore crudis collectis humoribus,

bus, ut ex creméta cõmostrarũt, esse sopitos illos, simul & demétes evasisse: sopitos quidẽ, ex multitudine & frigore crudorũ succorũ: demẽtes, quod acredinẽ pariebant & calorem putrescẽtes, hæc Gal. ubi verbũ, putrescẽtes, refert humores crudos, quẽadmodum superius annotabamus eadẽ verba trãscribentes: quæ modò iterũ refero, ut omnes conspiciant me dixisse & docuisse quòd amicus Sanctius nec potuit dicere, cũ falsò verba trãsferret: nec docere, cũ præter illa verba ex primo Prorreth. text. 1. allata & fortasse nõ perspecta nihil amplius afferri potuerit. quamvis dicat, *Quin ex Galeno ipso superiùs affectionẽ affectionisque causas docuimus & quo nã nomine ab Hippocrate, & aliis, appelletur, indicavimus, &c.* Qualiter aũt hæc præstiterit, intelligẽt qui hac de re doctisimorũ professorũ animadversionesperlegerint, quas cõsultò prætermitto, ut ostẽdã doctorẽ Frãciscũ Sãctiũ, quæ adduxerat verba ex Prorrhet. nõ solũ nõ explicasse, sed etiã nõ advertisse. Si enim cõsideraret verba illa, quæ habẽt (ego verò quoties ad finẽ usq; tũ desipiẽtia, tũ coma persistunt affectionẽ hãc ex phrenitide & lethargo mistã appello. quidam typhomaniã vocaverunt. Hippocrates cataphorã pigram nominat) nequaquam in lethargo deliriũ negaret. quoniã potisima causa, propter quã quidam falsò putarunt in lethargo nõ esse delirium, est quia non conspiciunt lethatgicos, sicut phreniticos delirare, aut vana loqui. non advertentes Hippocratem

 phreni-

phreniticos appellasse etiam illos, qui non delirant, hoc est, qui alto oppressi somno vana non loquuntur, & secundum hanc sententiam dicebat. 3. epid. tex. paulò supra citato nec phreniticorum insanivit quispiam, quæ verba affert Gal. lib. Prorrhet. Sed dices, non delirant, nec vana loquuntur, quo pacto phreniticos, & dementes appellat? est facilis responsio, aut solutio, quia in se ipsis habent sufficientem delirandi causam, ut pote inflãmationem in substãtia cerebri, à qua plus justò incalescens cerebrum necessariò intemperiem contrahet, propterquam vana loquerentur, nisi somno premerentur, quo pacto de geometra dormiente dicere solemus geometrã esse, quia cum primum à somno excitatus fuerit geometriam exercebit. tantũdem de lethargico dicere poterimus phreniticum & delirantem esse, quia cũ primum à somno fuerit excitatus delirabit, & vana loquetur, quemadmodũ optimè annotavit Aetius, ut paulo post latiùs dicemus. Cum igitur lethargici veri dicti in se ipsis delirandi affectionem habeant, deliros esse non negamus. nam ob eamdem rationem dicebat Gal. in affectione illa mista utrumque perseverare usque ad finem, delirium quidem & soporem. per quæ verba significat, quod nec negare poterat, deliros etiam esse, quando sopore sunt correpti. Si enim eo tempore non essent deliri, nequaquam dixisset, utrumque ad finem usque perseverare: Qui potest capere, capiat: sed dicet amplius

amicus.

amicus Sanctius, aderit quidem delirium in lethargo, & illud perpetuum erit, quando lethargus ex cerebri inflammatione ortum duxerit : cum tamen posſit citra inflãmationem conſiſtere, quemadmodum nonnulli peritiſsimi aliàs medicinæ profeſſores prodiderunt, poterit ſimiliter ſine delirio contingere. dicam quod ſentio, eoſdem profeſſores, raró quidem poſſe citra inflãmationem conſiſtere, affirmare comperio. ac proinde ex ſententia illorũ etiam lethargus ut plurimum dicetur delirium perpetuum habere. &, quod majus eſt, ſi penitiùs illorũ rationes perpenderimus, inveniemus dubio procul, ipſas nihil concludere, probabilioremque aliorum ſententiam eſſe, qui aſſerunt nũquam nec lethargũ, nec phrenitim citra inflãmationem cerebri poſſe cõtingere. inter quos eſt doctiſsimus doctor Bravius meritiſsimus medicinæ in celeberrima Salmanticenſi Academia profeſſor, verum cum doctor Bravius veritatem illius ſententiæ in phrenitide, de qua ibi ſermo erat, tantum oſtendat, facilè nos poterimus eamdem veritatem in lethargo oſtendere, cũ utrobique eadem ſit cerebri inflãmatio, quemadmodum ſatis ſufficienter ſupra demonſtravimus. & probat Trincavellius lib. 1. epiſt. per hæc verba : Puto, inquit, neminem negaturum, quod ſicut à bilioſo humore membranæ in tumorem attolluntur, ita etiam à lethargo cerebrum, & quod is tumor ſit calidus, mihi ſatis liquidò conſtare poſſe videtur, ut

1. progn. com. 23.

Trincavellius.

 pote

pote,qui & febrem continentem,&delirium comites habeat.pituita enim dum ſuam naturā ſinceram ſervat,& frigida omnino eſt,nequit febres vel inflāmationes cōcitare:ubi verò à ſincera illa ſua natura degenerat,& vel alterius humoris miſtione, vel cōtracta putredine,calorē eatenus ſibi comparat,ut febres poſsit accendere,poteſt etiā inflāmationis eſſe auctor.eamdem ſententiā idem auctor in eodem libro cōfirmabat,dicēs,ſi tamen experientia & omniū ferè medicorū ſententiis velimus credere,ex pituitoſo & melācholico humore poteſt fieri inflāmatio. nam lethargus cerebri inflāmatio eſt à materia pituitoſa originē habens.& in comētariis ad librum ſecūdum de different.febriū,idem eamdem ſententiam conſtituebat dicens,Priores enim,inflāmationē in univerſum appellant omnē tumorē calidum cū multa flāma,unde lethargū vocant inflāmationē in cerebro genitam ex pituita: phrenitim autē membranarum cerebri inflāmationē ex bile ortam, &c. hæc doctiſsimus hic auctor memoriæ prodidit : per quæ apertiſsimè aſſerit ex ſua & ceterorum ferè omnium medicorum ſentētia lethargum,ſicut & phrenitim,inflāmationem cerebri eſſe, notāter videlicet dicens, omnium ferè medicorum,quia intelligebat quoſdam eſſe, qui contenderent poſſe interdum duas has affectiones citra inflammationem contingere ex ſola humoris in cerebro redundantis copia, qui putreſcens , antequam inflammationem inferat,

rat,poterit febrem concitare,ac proinde erit lethargus, aut phrenitis, citra inflammationem: cum præsertim in prima statim morbi die nulla conspiciantur inflammationis indicia. hæc est potissima illorum ratio, quæ tamen nihil videtur concludere. nam humor calorem & acredinem ex putredine acquirens non poterit in substantia molli qualis cerebri est, vel meningum, contineri, quin protinus ipsam calidiorem præter naturam reddat, & inflammationem inde oboriri faciat: cum enim febrem incēdat, necessariò etiam inflammationem cōcitabit, quæ à prima statim invasionis hora inflammatio erit vocanda, quamvis minima sit, & nullum ipsius conspicuum appareat indicium. morbi enim in principio quando exigui admodum sunt, ita ut vix percipiantur, non differunt à se ipsis quando vigēt, & omnibus fiunt manifesti. quemadmodum optimè docebat Gal. lib. 1. de loc. affecti. dicens, Morbus vero & calidus & frigidus & siccus protinus ab initio cum primū corpus temperaturæ, quæ bonæ valetudini debetur, limites excesserit, eamdem sibi ipsi naturam habet. quamvis enim interdum adeò sit exiguus, ut nec à nobis cognosci, nec laborantium sensu percipi possit, nihilominus tamen propriam habere speciem censetur. haud aliter inflammatio quoque in quacumque animalis parte constiterit, sive maxima, sive minima fuerit, unus atque idem erit affectus, non specie quidem, sed magnitudine Cap. 2.

tudine

tudine varius,&c. qnæ in eamdem ſententiam proſequitur, per pulcro guttæ aquæ ſaxum excavantis
Tex.1. exemplo confirmans. vnde jure optimo lib.1. Prorrhet. incipientes acceſsionum invaſiones medico cognoſcendas eſſe,& tamquam jam factas dicẽdas, proclamat: Res enim hæc,inquit,non aliter, quàm plantæ recens è terra ortæ, dignoſcitur. quas ruſticus quidem, vel qui in herbis omnibus dignoſcendis eſt peritus,confeſtim internoſcit: cæteris verò incognitæ manent. Agros ſiquidem,herbas,germinatione ſimillimas ſæpius ferre conſpicimus, quas nos quidem non internoſcimus, ruſtici vero internoverunt,quid nam ſcilicet ex his herba eſt,quid triticum nuper natum,quid hordeum,quid zea, & quidnam aliorum unumquodq;. ad eumdem hunc quoq; modum res habet,in arboribus nempe & eas cum omnibus ſuis partibus abſolutæ ſunt, univerſi cognoſcimus, cum vero enaſci incipiunt, omninò à paucis cognoſcuntur. hæc Gal. quæ memoranda ſunt, ut diſcamus incipientes ſtatim morbos dignoſcere: atque ſimul intelligamus,nequaquam tũc differre à ſe ipſis in ſummo vigore conſiſtentibus,& ex conſequenti in prima ſtatim,non ſolum die, ſed etiam hora, cum humor putreſcens in cerebro incipit febrem accendere, ſtatim etiam incipit ſubſtantiam ipſius cerebri, vel membranas ejus inflãmare. quamvis nullum inflãmationis appareat indicium.
Cap.7. Ex quibus liquidò conſtat verba Gal.lib. de ſympt.

cauſis

causis. 2. tradita (quippe phrenitis non tantùm ex calidis ortum habet succis, sed supra id etiá phlegmonem in cerebro, & ejus involucris excitat, &c.) non esse intelligenda de phrenitide confirmata, ut quidam volunt: sed potius de phrenitide incipiente, quando humores calidi in cerebro vel in ipsius involucris incipiunt intemperare: simul enim incipiunt inflámare, seu tumorem concitare præter naturam, quamvis præ exiguitate minimè conspici posit. tantúdem de lethargo erit sentiendum. nec obstat quod idem Gal. lib. 1. Prorrhet. dixerit, Phrenitis, quæ exquisita est, & nulli alteri morbo permiscetur, fit cum flava bilis locum, in quo princeps animæ residet, prehenderit: lethargus verò cum locum eumdem humectarit, dilueritque pituita, &c. nam intelligendum est juxta explicatam ab eodem doctrinam lib. 2. de sympt. causis, & 13. meth. si enim pituita humectans & diluens solum substantiam cerebri, lethargum cócitaret, sequeretur, quod in omnibus rheumaticis affectionibus, in quibus cerebrú multa pituita redundans humectum, & veluti dilutum est, esset lethargus: quod maximum est absurdum. & ex consequenti pituita non dicetur lethargum efficere, nisi putrescat, & per putredinem calorem & acredinem concipiat, atque substantiæ cerebri inflammationem inducat. Idem erit de humore bilioso judicium. Hinc patet qualiter sit intelligendus Hippocrates lib. 7. Aph. dicés, A peripneumonia

Tex. 1.

Cap. 7.
Cap. 21.

Aph. 12.

H phre-

phrenitis malum. & Gal.in cõm. dum inquit. Cum à calido humore fit peripneumonia ea multis vaporibus in caput sublatis replet cerebrum & phrenitim efficit, &c. Vbi dicit fieri phrenitim ex vaporibus ab humore calido sublatis, & caput replentibus, intellige, dummodo ibi impacti & coadunati inflammationem effecerint: nisi mavis dicere, non esse illam veram phrenitim, sed potius paraphrenitim phrenitim dicendam, sicut illam, quæ ex inflammatione septi transversi facit perpetuum delirium, auctore eodem Gal. nam citrà humoris calidi effluxum, à quo cerebrum, vel ejus membranæ inflammantur, nõ fit vera phrenitis, ut cumq; tam etsi sufficienter demonstratum est ab illo nostro axiomate, non fuisse exclusum Galenum, nec aliquem alium medicinæ doctorem, quantumvis reclamet amicus Sanctius, qui naturam phrenitis & essentiam lethargi hucusque obumbrare voluisse videtur, cũ in ipsis inflammationem non agnoscat, atque proinde nec quæ ex ipsis componitur, affectionem explicasse cõvincitur: qui enim simplicia ignorat, & quæ ex ipsis componuntur ignorare certum est. desinat jocari: posse quidem nos dicere, nequaquam tamen docere symptomata illa in lethargo reperire, quæ ipse putabat typhomaniæ esse propria. nam illud satis sufficienter docuimus, simul demonstrantes, longè diversa esse symptomata lethargi (quem existimat esse tumorem ædematosum) & phrenitidis (quam erysipe-

eryſipelatoſum vocat) quamvis in quibuſdam conveniant. quod nequaquam tollit rationem & naturam ſignorum pathognomonicorũ, ut poſtea eidẽ objicienti oſtendemus. nunc alteram illius ſolutionem & admirandam interpretationem expendamus.

Quinto loco conatur reprobare illam noſtram argumentationem, quam ipſe à ſimili vocat. in qua admittens & libenter concedens aſſumtum, negat ſequellam. Erat autem argumentatio: Qui ab alto ſomno oppreſsi excitati vix conſentanea loquuntur, deliri ſunt. tales ſunt lethargici, ergo deliri ſunt dicendi. hæc eſt integra argumentatio, quam ipſe cùm non poſſet inficiari, ut pote ab Aetio confirmatam ita ſubterfugere conatur: *Libenter, inquit, admitto aſſumtum, ut videat nihil tale ex ipſo colligi, imo quod auctores lethargicos à ſomno primùm excitatos vana loqui animadverterint, eoſdem plenè expergefactos conſentanea eloqui, invenire videntur. nam ſi perpetuò tenerentur delirio, fruſtrà tam breve tempus indicarent: dicturi potiùs perpetuo vana effutire, ut qui perpetuo delirent*, hæc ille. Per quæ (antequam ulterius progrediamur) apertè fatetur, quod hucuſque conſtanter negaverat, nempe adeſſe delirium in lethargo: illud tamen non eſſe perpetuum. cum tamen hucuſque dixerit nequaquam deliros eſſe lethargicos, nedum perpetuò delirare. Idem etiam confirmat ad ſeptimam argumentationem, in qua erat propoſitum

 ſatiſ-

ſatisfacere Aetio, qui conceptis verbis meam confirmabat ſententiam, dum inquit, Atq; dũ excitantur aliena loquũtur & obliviosi ſunt. amicus Sanctius videns ſe convinctum hac auctoritate, putans ſubterfugere magis ſe illaqueavit dicens, *Quorſum iſthæc? num probaturus lethargicos perpetuo delirio teneri, ſatis ſe feciſſe putat, ſi de eis Aet. ſcripſerit dum excitantur aliena loquuntur & obliviosi ſunt? quod ſi Aet. & omnes quotquot de medicina ſcripſere, literis mãdarent lethargicos aliquando delirare, nũquid colligendũ inde eſset, eoſdem perpetuo delirio teneri?* Hæc Sanctius: quibus fatetur deliros quidem eſſe lethargicos, non tamen perpetuò delirare, ſed cum primum excitantur. verum enim verò cum amici ingenium agnoſcam atque certò ſciam protinus eſſe negaturum, quod modo concedere fatetur: aliumque ſenſum his verbis eſſe daturum, quãtumvis nullum aliũ recipere poſsint, oportebit particulariùs adhuc oſtendere ex illis Aetii verbis, & ex noſtro aſſumto neceſſariò colligi, in lethargo delirium adeſſe perpetuum: admirandáque eſſe hanc amici Sanctii interpretationem, quã ipſe pro ſuo arbitrio fingens, nec ratione nec auctoritate unquam confirmare poterit. Vtrumque ſimul puto facilè poſſe oſtendi ſi iterum afferamus hanc verè ejus interpretationẽ, *Imo quod, auctores inquit, lethargicos à ſomno primũ excitatos vana loqui animadverterint, eoſdem plenè expergefactos conſentanea eloqui innuere videntur.* Certè non poſſum non admirari cum hanc lego inter-

ter-

terpretationem: nam si auctores illi medicinæ lethargicos plenè expergefactos consentanea eloqui conspexere, cur illud non annotarũt? dicet fortasse, quia facilè ex his, quæ literis mandarunt colligi poterat. dicunt enim, cum à somno excitantur vana loquuntur, & obliviosi sunt. sed demus illi quod vult, lethargicos videlicet plenè expergefactos non vana loqui: ergo eadem ratione nec tunc obliviosi erunt, nam si vana loquuntur, & obliviosi sunt cum à somno excitantur; cum plenè fuerint excitati nec vana loquentur, nec obliviosi erunt. & ex cõsequẽti nec oblivio erit perpetua in lethargo, sicut nec delirium. Quod ipse tamen nequaquam fatebitur, cum dicat lethargum oblivionem esse otiosam, perpetuòque cum morbo consistere: si igitur lethargici plenè expergefacti obliviosi permanent, necessariò etiam tunc deliri erunt. Nam quemadmodum permanente causa obliviosi existunt, ita & permanente causa deliri erunt. Permanere autem utriusque causam, constat, quia causa ipsius effectus permanet, hoc est, pituita in cerebro putrescens. Quare auctores medicinæ, cum asseruerũt lethargicos à somno excitatos vana loqui & obliviosos esse: voluerunt nos docere, ipsos quando sopore sunt oppresi, deliros quoque & obliviosos esse, quod cum ipsis dormientibus non posit agnosci, excitentur à somno inquiunt: ut apertè cognoscatur deliros esse, quia vana loquuntur: & obliviosos, quia non recordan-

tur, & ita quocumque tempore, & quacumque hora à ſomno fuerint expergefacti inveniemus ipos vana loqui, & obliviosos eſſe. quemadmodum fateri poſſunt omnes medici, qui veros lethargicos cõſpexere. Hanc eſſe veram horum verborum interpretationem apertiſsimè ſignificavit Paulus capite de lethargo dicens, Quocumq; modo interpellentur, vix reſpondent, oblivioſi, mente moti, &c. notanter videlicet dicens, Quocũque modo. Hanc eamdem interpretationẽ eadem ſimilitudine, quam ſupra de Geometra dormiente afferebam, ita & demonſtro, ut nullus relinqui dubitationi locus poſsit. Fingamus Geometram dormientem, in quo appareat indicium, per quod agnoſcere poſsimus, talem hominem eſſe Geometram, adſitq; aliquis, qui geometrã illum eſſe certò ſciat: cui tamen nolumus fidem dare, dicet ſanè qui Geometram eſſe agnovit, excitetur a ſomno, & protinus conſpicietis, ipſum verum eſſe Geometram. deinde excitatus jam à ſomno, & Geometriam per ſuas demonſtrationes docens, omnes conſpicient, quod antè ignorabant, verum illũ eſſe Geometram: nec aliquis ſuſpicabitur ipſum plenè expergefactum Geometriam eſſe amiſſurũ, cujus artem in ſe ipſo haberet, ad eumdem prorſus modum nequaquam dubitare aliquis poterit lethargicos delirium eſſe amiſſuros quamdiu in ſe ipſis delirii cauſam habuerint, hoc eſt, inflammetionem cerebri ex putreſcente pituita obortam. Nullũque aliud

aliud evidentius posse indicium ad conspiciendum ipsorum delirium, quam illud quod Aetius docuit, ut à somno excitentur; nam si à somno expergefacti vana loquuntur, deliri dicentur, & erunt, perpetuòque ipsi delirantes, si perpetuò excitati à somno fuissent, quamdiu inquam delirii causa affuerit, hoc est, ipsa cerebri inflammatio, quam consultò sæpius refero, ut vel sic possim Amicum Sanctium ab illo suo lethargo excitare. Sed reliqua absolvamus.

Conabar in meo epistolio eamdem sententiam demonstrare ex natura, & peculiari conditione signorum, quæ pathognomonica & essentialia medicis vocantur, quæ semper morbum ipsum concomitantur, & unà cum ipso invadunt, sufficereque ut talia dicantur, quod per omnia tempora morbi persistant, & in hujus rei confirmationem adducebam locum Galen. ex lib. 3. epid. com. 3. 34. & ex lib. de const. art. med. cap. 15. quæ omnia referens doctor Franciscus Sanctius veluti per ironiam subdit, *Colligit quidem rectè, sed cum amico hac in re sentire neutiquam possum. nec id ægre ferat, precor. quādo nullum ex his, qui hactenus medicinam scripserunt, indicabit auctorem, qui lethargi pathognomonicum signū delirium esse affirmet: ut videat quàm longè absit, ut credam hoc apud omnes auctores esse receptissimum.* Hæc amicus: cui non possum gratiam non reffere, quòd hac in re mecum consentire non potuerit,

nec

nec id graviter fero, ægriùs quidem laturus, si illius habuissem consensum. Crediderim me deceptum fuisse in re, de qua solus amicus Sanctius dubitare poterat. Ceteri enim medicinæ professores & auctores, qui artis præcepta & sancita decreta caluerunt, & interpretati fuerunt, apertissimè intelligũt, delirium in lethargo signum esse pathognomonicum, quippe qui plures ex ipsis inter signa demonstrantia essentiam lethargi ennumerant delirium, ut superius ostendebamus. atque proinde verè ego in meo epistolio dicebam, receptissimum esse apud auctores & omnes medicinæ scriptores. nec oportet spectare (quod fortasse decepit D. amicum Sanctium) ut in auctorum monumentis reperiatur, hoc est signum pathognomicum: satis enim erit quod inter signa demonstrantia essentiam & peculiarem naturam alicujus morbi reperiatur, ut dicatur pathognomonicũ: quia talia unam & eamdem debent participare nomenclaturam. quod autem delirium sit pathognomonicum lethargi signum, demõstro tum ex eo, quod superiùs ostendebam, delirium scilicet, esse signum pathognomonicum inflãmationis cerebri, & ex consequenti lethargi, qui inflãmatio cerebri dicebatur: tum vel maximè ex eo, quod
Aph. 12. Galenus docebat lib. 1. Aph. & cõmuniter ab omnibus doctoribus recipitur, quinque esse genera signorum, quæ in ægris consideranda sunt, pathognomonica, assidẽtia, coctionis & cruditatis, critica,

&

& prognostica. quo supposito est facilis demonstratio, delirium in lethargo nec est signum prognosticum, nec criticum, nec coctionis & cruditatis, nec assidens: ergo pathognomonicum. Hanc signorum per sua genera distinctionem & propriam cujusque vim & naturam si amicus Sáctius priùs perspexisset, non discederet ab amico, quem ipse novit nũquam sine auctore fuisse locutum. (etsi rectè sciverim esse miserrimi ingenii semper inventis uti, & nũquam inveniendis) atque proinde non erat quòd unum expostulasset auctorem, qui diceret delirium esse signum pathonomonicum, cum omnes illud affirmasse jam modo intelliget, quando inter signa demõstrantia essentiam lethargi illud constituissent. quod ex sufficiẽti enumeratione necessariò pathognomonicum erit dicendum. quãtumvis reclamet amicus Sanctius. qui deinde dicit meam argumentationem destruxisse Galenum, in cujus confirmationem, inquit. *Galeni locum adducit: vestrum erit Galeni verba expendere, & an ex illis suam aptè interpretationẽ, fuerit cõmentus judicare. dum liceat ex eodem Galeni loco perpetuum delirium ad phrenitis essentiam eodem modo interpretari: ut phrenitis non sit nisi per totum morbum adjunctum delirium fuerit. unde juxta D. Salzedo sensum eadem omnino lethargi & phrenitis pathognomonica signa statuentur. Audiamus verò Galenum hanc praecedentem argumẽtationem atque inauditum istud dogma simul destruẽtem.*

I *phre-*

1. Prorrh. tex.com.1. *phrenitim non appellant omnes homines, nisi febriat æger, & continuè deliret. continuitate igitur delirii (inquit Gal.) quodque simul cum febre fiat phrenitim agnoscemus. hinc rectiùs fortaßis colligeret, delirium perpetuum cum febre, pathognomonica phrenitis signa esse. Alienum tamen satis à ratione judicabit, ut affectionum contrariarũ eadem sint pathognomonica signa. quod si adhuc perstat in affirmanda perpetui delirii ad lethargi essentiam neceßitate: quæ Gal. de phrenitide nos rectè docuit, ille de lethargo falsò pronunciare sequenti oratione tenetur: continuitate delirii, qodque simul cum febre fiat lethargum agnoscemus, quo quid absurdius dici poßit, ipse unus mihi judex atque index sit.*

Hæc amicus Sanctius: quæ non minus inurbanè quam eleganter essent dicta, si aliqua ex parte medicam eruditionem redolerent, à qua quantum distent ejus rationes, facilè indicarem si par pari esset referendum. obtemperandum tamen erit amico, qui & indicem & judicem me constituit. Iudicis officio nequaquam fungar ea in re, in qua ille alios habuit judices doctisimos & integerrimos, ut ipse vocat, vel potiùs patronos, ut ego video. Iudicis tamen munus obire nitar: fortasisque amico indicabo quæ ipse hucusque conspicere noluit. Atque in primis non erat quod ad judices relegaret, ut expenderent verba Galeni, quæ ipse interpretari priùs debuerat, si æquum judicum judicium & non patrocinium spectaret:

sed

ſed patrocinentur ut libuerit, nihil enim adverſum veritatem valere poterunt. in primis credit abſurdum eſſe valde, quod ex mea argumentatione colligi videtur, eadem eſſe ſigna pathognomonica, quæ in phrenitide conſiſtunt, lethargo tribuerim. verum quod in quibuſdam conveniant phrenitis & lethargus, deſinet mirari cum intellexerit in genere quoque, hoc eſt, in inflammatione cerebri convenire. nam demonſtratum ſupra eſt phrenitim & lethargum ejuſdem generis eſſe ſpecies, cujus ratione communia quoque habent indicia, nempe febrem continuam & delirium perpetuum. in aliis autem diſtinguũtur tamquam ſpecies ex contrariis humoribus ortæ. quinimo & in ipſo delirio, atque febre etiam ſeparantur. Nam nec delirium in lethargo ita loquax, vigilans, & tumultuarium eſt, ſicut in phrenitide: nec febris ita acuta ut ex Hippocrate, & Galeno & aliis medicinæ auctoribus ſuperiùs adductis facilè intelligent, qui non oſcitanter nec protervè illorum doctrinam conſequi ſtuduerint. nec falſò cõcipiat amicus Sanctius ex hoc tolli vim & naturam ſignorum pathognomonicorum, quorũ nullũ per ſe ſumtum ita proprium alicui morbo eſſe poſſit, ut omni, ſoli, & ſemper conveniat. nam & deliriũ perpetuũ cum febre cõjunctũ aliis à vera phrenitide convenit. nempe inflammationi ſepti tranſ-

versi quemadmodum longa oratione docet Gale.
Cap.3. lib. 5. de loc. affect. ostendens qualiter à vera phrenitide separetur. & ita meritò idem Gal. lib. 1. de de different.feb.& sæpe alibi signorum pathognomonicorum, alia vocat propria, quæ scilicet conveniunt omni, sed non soli, ut febris acuta in phrenitide, & febris lenta in lethargo: alia inseparabilia, quæ conveniunt soli, sed non omni, ut pulsus adserræ instar convenit soli pleuritidi, non tamen omni: omnia tamen signa propria & inseparabilia simul juncta, quæ in uno morbo reperiuntur, & ipsius essentiam constituunt, in alio nunquam poterunt reperiri, qualia sunt quinque dolorem pleuriticum constituentia, & cetera, quæ simul in unoquoque morbo concurrunt. quæ longum esset modo recensere, & facile ex auctoribus nostræ medicinæ, præsertim ex Galeno in lib. de loc. affect. de differentiis feb. & 2. de criticis disci poterunt. in quibus interdum concursum signorum pathognomonicorum, syndromen appellabat, & lib. 4. de ra-
Com. 62. tione victus per hæc verba, Nempe pathognomonica syndrome morbi speciem demonstrat, &c. notanter scilicet dicens, speciem morbi, hoc est, totam essentiam, & non solum genericam, sed etiá specificam. quemadmodum in ipso lethargo ostédit
Cap.3. Aurelianus lib. 2. de acutis morb. dum inquit, Vnum enim quicquam singulare, ut est præssura,

vel

vel febricula, non significat lethargum, sed plurima atque sibi convenientia, ut concursus multorum signum faciat indicabile lethargi. adde etiam nonnũquam signa propria inseparabilia: sicut è converso inseparabilia propria vocare consuevit, ut pote qui de exactiori significatione parum studeat, cum res ipsa constiterit. quare indicis adhuc munere fungens amico Sanctio indicavi quod & ipse adhuc negare videtur. nempe delirium continuum cum febre conjunctum nequaquam ita indicare phrenitim, ut in aliis non reperiatur. nam constat & ex ipso Galeno reperiri in inflãmatione septi transversi sicut in lethargo, & in mania cum febre, juxta Aureliani sententiam: quinimo & illud ampliùs indicabo phreniticos appellasse Hippocratem non solùm qui vera & exquisita phrenitide premuntur, sed & etiam reliquos omnes, qui cum febre insanire sunt visi, quemadmodum annotarunt peritissimi quidam nostræ medicinæ professores, inter quos est doctissimus doctor Franciscus Vallesius meritissimus protomedicus, qui in suis cõment. ad lib. 3. epid. in fine illius com. ita scripsit, Vocat verò, ut cum aliàs, tum vel maximè toto hoc opere constat: phreniticos non eos solum, quibus calidis excrementis abundat cerebrum, sed utcumq; alienatos mente, in quibus sunt etiam lethargici, & typhomania laborantes, &c. tanti viri Com. 3. 6.

auctoritatem non audet repugnare doctor Sanctius, cùm præsertim multum illi, ut æquum est, tribuat: eam tamen consultò hucusque distuli, ut pateretur, quæ prius adducebam legere. nam si à principio doctoris Vallesii illa verba attulisse, protinus proclamasset Sanctius amicus dandum in lethargo delirium. dicit enim, In quibus sunt etiã lethargici. verùm nõ desinet amicus interpretationẽ ex uberrimo suo ingenio promere ad hæc verba, quávis nullam aliam patiátur. Erit igitur in lethargo delirium perpetuum cũ febre conjunctum, nec propterea phrenitis dicetur, cum alia habeat symptomata & indicia, per quæ à phrenitide longè latèque distat. quod autẽ hac in parte subdit, (Atqui si quæ modò proponit, essent quæ in cõsultatione adduxerat, haud illi dixissem, fefellit te profectò Antonius ab Altomari, quando nec Antonius hoc dicit, nec me aliud unquam afferentem audierat, quàm infirmas esse & imbecillas duas in lethargo rectrices potentias cum memoriæ deperditione) videtur prorsus oblivisci verborum, quæ in consultatione, & postea sequenti die mihi coram doctissimis cõmilitonibus dixerat. nec mirandum est dixisse, Nam decepit te Antonius ab Altomari, quia conspexerat tantum, quæ doctissimus hic vir in principio capitis attulerat, ex quibus existimavit meam confirmari sententiam: principio enim

ita

ita ſcriptum reliquit. Quinimo cum ipſa memoriâ ratio quoque perit auctore Galeno 3. de loc.affect. & lib. de different. ſympt. poſtea vero majori diligentia caput totum legens vidit eumdem Donatum affirmaſſe in lethargo imaginationem eſſe infirmam, & veluti deffinientem. atque credens ſuam conſtituiſſe opinionem, auſus eſt negare quod priùs dixerat: ſed parum refert ſive fateatur, ſive neget, dummodo intelligat Donatum nõ ſuam, ſed potiùs meam confirmaſſe ſententiã, quatenus in lethargo delirium conſtituit, quantumvis oſcitanter proferat poſſe etiam interdum à pituitoſo ſucco putreſcente citra cerebri inflammationẽ excitari. dũ inquit: Verùm cũ & ipſe lethargus, ut dicemus, nõ tantũ ex cerebri inflãmatione orta à pituitoſo ſucco excitari poſsit, verùm etiam ex ipſa pituita citra inflammationem in cerebro putrefacta, propterea inter ſymptomata, ipſum cõnumerabimus functionum principum, memoriæ videlicet ac rationis abolitæ, imaginationisque infirmæ & veluti deficientis, &c. hæc ille. ubi noto verbum, Memoriæ & rationis abolitæ, per quod intelligit læſionem illam, ad quam ſequitur delirium. Nam ſi ratio perit neceſſariò delirium ſequetur. hunc autem eſſe illorum verborum ſenſum patet, quia confirmat dictum Aetii cap. de memoria amiſſa, in quo dicebat, Pereunt autem ambo

hæc

hæc, de memoria & ratione loquens, in lethargo. Qualiter autem pereat ratio, ipſe Aetius poſtea explicavit c. proprio dicens, Cum excitantur, vana loquuntur, & hanc eſſe Galen. ſententiam lib. 3. de loc. affect. paulò ſupra luce meridiana clariùs oſtendimus. addit autem Donatus imaginationem infirmam, & veluti deficientem eſſe lethargo. quia putavit poſſe ipſum excitari citra cerebri inflammationem. Quod quidem ſi contigerit non erit verus lethargus, ſed potiùs communiter dictus de omnibus ſoporoſis affectionibus, in quibus imaginatio imbecillis & infirma exiſtit. Quæ omnia cum juxta veritaté Galen. & aliorũ noſtræ medicinæ procerum demonſtrata hucuſque ſint (à qua doctiſsimus Manardus lib. epiſt. ne latum quidem unguem recedit. dum, inquit, Nomen ab oblivione ſortitur, licet cum memoria etiam Galeno auctore, ratio tollatur) tutò poterimus receptui canere, atque victoria non inanis gloriæ & popularis auræ, ſed potiùs veritatis inventæ & explicatæ feliciter frui. ſi tamen victoria de amico parta læta eſſe poſsit, nec ipſam retardabit Iacotius, quamvis doctor Sanctius dicat mutilata à me fuiſſe illius verba, quæ jam ſuperiùs integra protuli, eamdem ſententiam multo adhuc apertius oſtendentia. nec item victoriæ gloriam adimere poterunt, quæ ab ipſo amico Sanctio oſtenduntur

Li. 7. epi. 3

ſenten-

ſententia à Valentinis, & Complutenſibus profeſſoribus, ut ipſe affirmat, prolatæ: nullam enim vim habet judicium, nec ſententia, quæ lite non conteſtata, & contra inauditam partem profertur: cum præſertim (pace tantorum virorum dixerim) indignæ ſint, ut à medicinæ profeſſoribus reddi poſsint. Quemadmodum ipſimet fatebuntur, ſi ea, quæ hucuſque attulimus attento & benevolo animo, omni amore & odio depoſitis perlegerint. Sed audiamus quæ ipſe oſtendit Valentiæ & Compluti decreta & judicia.

Veſtras, inquiunt Valentini, viri graviſsimi in propoſita quæſtione tractanda rationes, variaque auctorum in medium prolata teſtimonia (ſumma quoad fieri potuit) æquitate ac diligentia expendimus. Ac cum duo ſint rerum judicandarum inſtrumenta, ſenſus & ratio, his judicibus, Perpetuum delirium in lethargo reperiri non poſſe, omnes vno ore pronunciamus, atque ut hanc rem atteſtemur, nomina noſtra hîc ſubſcribimus. Valentiæ, &c.

Hæc eſt doctorum Valentiæ ſententia, in qua nullam reddunt rationem, quia veri judices non tenentur reddere rationem ejus, quam proferunt ſentẽtiæ. quamvis ſatis puniatur judex in eo, quod contra legem facit, ut habetur apud juriſprudentiam. hanc puto ſubituros eſſe Valentinos judices ignominiæ pænam, quia contra manifeſtiſsima omnium noſtræ medicinæ procerum ſancita

K decre-

decreta pronuntiare visi sunt, apertissimè suo ore profitétes se ipsos nec umquam lethargicos ægrotantes conspexisse, quod mirandum non est: nec essentiam lethargi, aut de inflammatione cerebri, excitatas quæstiones discipulos suos docuisse, quod omnem excedit admirationem. illam enim præterire doctrinam, in qua magna nostrorum ingenia insudarunt, summa est desidia, (vestra dixerim pace) ac vereor ne verè in Valentinos doctores proferri posit quod Galen. alibi dicebat, utroque crure sanè claudos esse, qui nec in particularibus sunt exercitati, nec universalium Theorematum doctrinam fuerunt consecuti. Sed ipsi viderint, quos tamen obsecro, ut meliùs posthac sapiant, nec ita vel temerè deliciis & blandimentis amicitiæ capiantur, ut quæ à veris studiosis proferuntur penitiùs scrutentur.

6. de cōp. secund. locos c. 3. 9. meth. c. 6.

Sed audiamus Complutenses, quos refert seorsim sententiam in sui favorem pronunciasse, atque unum dixisse.

No es necessario que el lethargo tenga delirio perpetuo para el complemento de su essentia, ni aun delirio es de la esencia de lethargo, porque solo con sueño profundo y fiebre continua y lenta se contenta: y la lesion que el lethargo causa en las rectrices es resolucion, ò diminucion de memoria, y el delirio es depravacion de las dichas actiones, la qual proviene de calor, no de frio, ò redūdancia de humores frios.

frios, porque estos causan segnicie y torpeza en las actiones, que es diminucion y no depravacion, que es delirio.

Hæc ille quisquis fuerit, qui planè solum Hispanè protulit quod Franciscus Sanctius amicus Latinè scripserat. illud solùm addens, errare quidem rationem in lethargo ob defectum memoriæ, & ut interpretatur alter doctor Complutensis, quia memoria non refert cogitativè species integras & perfectas, quod ipse his verbis protulit.

El lethargo es impossible tenga delirio proprio, que es el que nace de causa caliente: el improprio, que es el que nace de vicio dela memoria por no offrecer las species a la cogitativa enteras y perfectas estè con el como tengo dicho en mi respuesta firmada.

Hanc ego nō vidi. ceterùm ex unguibus leonē. hi doctores nec lethargi essentiam videntur agnovisse (bona venia dixerim) dū dicūt, Ad ipsius essentiam sufficere somnum profundum, & febrem continuam lentā, non intelligentes, aut veriùs non advertentes, febrem à causa frigida nūquam posse excitari, ac proinde humorē pituitosum lethargi auctorem necessariò putrescere in cerebro, unde calorem necessariò contrahet, ut febrem excitare & inflammationem in cerebro præstare posit: quēadmodum multò latiùs demonstratum habemus. Quare illud dicamus, tantum modo rationem quam proferunt de speciebus & simulacris

à memoratrice ad cogitatricem oblatis, non esse medicam. nam medicus ad intemperies tantum refert rectricum, sicut aliarum functionum læsiones, sive imminutæ, sive ablatæ, sive vitiosæ fuerint actiones, ut superiùs interpretabamur, & ita Gal. interpretabatur memorandam illam Hippocratis sententiam, Si abit in mentem, melancholicum: si in corpus epilepticum reddit, lib. 3. de loc. affect. deinde lib. 4. cap. 2. agens de affectibus linguæ secundum eamdem sententiam, dicebat, Si aliquando tota anterior cerebri pars afficitur, supremum ipsius ventrem ei consentire necesse est, atque cogitandi quoque actiones vitiari, &c. Vbi notanter dixit supremam cerebri partem affici, & inde vitiũ in cogitatrice provenire. ejusmodi autem affectionem non ad delationem specierum, sed potiùs ad intemperamentum referens, quod & in omnibus aliis fecisse tãquam verum medicum certò scimus. à cujus medicina Complutenses medici toto, ut ajunt, cælo discedere convincuntur, dum læsionem facultatis ratiocinatricis in lethargo non ad intemperiem, sed potiùs ad species imperfectas & truncatas referunt. sed dicent se philosophos agere. dicent quidem, sed non poterunt ostendere ad mentem Arist. fuisse locutos. nam quod magnus philosophus sensui cõmuni tribuit, medici illi Complutenses memoriæ referunt, non advertentes poten-

tiam

tiam hanc ultimam esse, & veluti thesaurum eorum omnium, quæ in aliis potentiis internis, & sensibus externis comparátur. sed de his alibi: Nunc sufficiat demonstrare ipsos medicorum personam exuere, dum manifestam Galeni causam relinquũt, in cujus operibus se non videntur admodum exercitatos & versatos, pace eorum, satis superque patefaciunt. quod & illi testantur, qui in hunc modũ sententiam protulerunt.

El delirio es accion depravada de facultad rectrix, y es impoßible ser accidente pathognomonico de el lethargo, ni en toda la enfermedad, ni tampoco en los tiempos vniversales: y aunque algunas vezes se puede hallar delirio enel (el qual es necessariamente proprio) pero es ex accidente, porque puede estar sin el la tal enfermedad sin impedimẽto: y aßi no es accidente pathognomonico como tengo declarado largamente, y este es mi parecer.

Hæc sunt, quæ doctor Franciscus Sanctius, & ejus patroni Valentini, atque Complutenses protulerunt: quæ quantum à veritate & à receptissima Galeni, & aliorum medicinæ procerum distent sententia, omnes spero esse luce meridiana clariùs inspecturos, si hæc, quæ modò scripsi, non oscitanter perlegerint.

Deo gratiæ habeantur.

Tios her mano
Don Juan de Car
tio